BR
63
F4
v.19
GTU

Digitized by the Internet Archive
in 2025 with funding from
Graduate Theological Union

https://archive.org/details/sententiaefloria19unse

Florilegium Patristicum
tam veteris quam medii aevi auctores complectens

Ediderunt

Bernhardus Geyer
S. Theologiae Doctor,
in Universitate Bonnensi Professor ordinarius

et

Johannes Zellinger
S. Theologiae Doctor,
in Universitate Monacens Professor ordinarius

Fasciculus XIX

Bonnae Sumptibus Petri Hanstein
MCMXXIX

Sententiae Florianenses

Nunc primum edidit, prolegomenis,
apparatu critico, notis instruxit

Henricus Ostlender
S. Theologiae Doctor

Property of
CLGA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

Bonnae Sumptibus Petri Hanstein
MCMXXIX

41597

BR
63
F4
v.19

J.-Nr. 3649 I 28.

Imprimatur.

Coloniae, die 16. Octobris 1928.

Dr. Vogt.
Vicarius Generalis.

Copyright by Peter Hanstein, Bonn 1929
Druck: Pierersche Hofbuchdruckerei Stephan Geibel & Co., Altenburg, Thür.

PROLEGOMENA.

Petrum Abaelardum (1079—1142), qui dicebatur Peripateticus Palatinus, scholam habuisse, quae doctrinam eius secuta est theologicam, H. Denifle O. Pr. primo ostendit[1]. Quattuor huc pertinentia invenit opera per modum conscripta librorum sententiarum, quibus illo saeculo quaestiones theologicae in scholis vulgo tractabantur.

Qui libri sententiarum sunt: 1. Petri Abaelardi quae dicitur *Epitome Theologiae christianae*, edita per Fr. H. Rheinwald, Berolini 1834, quem textum Migne reimpressit in Patrologiae Latinae tomo 178, 1685—1758. Quae Sententiae revera a Magistro quodam Hermanno scriptae sunt. 2. *Sententiae Florianenses* quae dicuntur, ex codice manuscripto in Monasterio S. Floriani in Austria superiore asservato. 3. *Sententiae Magistri Rolandi*, postea Papae Alexandri III., quas edidit A. M. Gietl, Friburgi Brisgoviae 1891. 4. *Sententiae Magistri Omnebene* quarum duo exstant manuscripta, Monacense[2] scilicet et Neapolitanum[3]. *Sententiae Florianenses* et *Sententiae Magistri Omnebene* adhuc ineditae remanserunt, cum Denifle (l. c. 424—434) et Gietl (l. c.) aliquas tantum partes communicaverint.

Denifle horum quattuor tractatuum fontem communem Petri Abaelardi *Theologiam* fuisse demonstravit, quae falso *Introductio ad Theologiam* nuncupatur. Cuius primam solummodo partem usque ad nostram aetatem mansisse, librum scilicet I.—III.[4], arbitratus est. Revera autem Abaelardus solummodo *Theologiae* partem nobis cognitam elaboravit atque compluribus quidem redactionibus edidit[5]. Libri sententiarum non solum hac *Theologia*, sed etiam alio quodam Libro sententiarum usi sunt qui S. Bernardo in confutanda Abaelardi doctrina praesto fuit[6] et non iam exstat.

[1] *Die Sentenzen Abaelards und die Bearbeitungen seiner Theologia vor Mitte des 12. Jahrh., Archiv für Literatur- und Kirchengeschichte des Mittelalters I, Berlin* 1885, 402—469, 584—624.

[2] nempe Clm 19 134, p. 148—229, cuius transscriptionem a Gietl factam in apparatu critico adhibui.

[3] M. Grabmann, *Die Geschichte der scholastischen Methode* II, *Freiburg i. Br.* 1911, 227.

[4] Migne, *Patrologia Latina* (PL) 178, 979—1114; V. Cousin, *Petri Abaelardi opera II, Parisiis* 1859, 1—149.

[5] H. Ostlender, *Peter Abaelards Theologia und die Sentenzenbücher seiner Schule, Breslauer k.-theol. Diss.* 1926. Ueberweg-Geyer, *Grundriß der Geschichte der Philosophie II: Die patristische und scholastische Philosophie, Berlin* 1928, 225 sq.

[6] *Epist. Bern.* 188, 190, PL 182, 353 B, 1062 C.

Sententiae Florianenses hic primum editae in uno nobis supersunt codice bibliothecae supradictae membranaceo miscellaneo XI. 264 saec. XII. (22 × 15 cm) ff. 147r—163v (= *F*)[1]. Tractatus, quamvis nitide scriptus, tamen multis mendis scatet. Filus orationis media in re abruptus est, ubi agitur de sacramento altaris. Praeterea opus ab auctore non satis diligenter exaratum esse videtur, quod sensum saepe obscurum facit et editionem reddidit difficillimam.

Sententiae in manuscripto titulo carent et non sunt addictae certo auctori. Sed cum in dispositione materiae inveniantur verba: ‚Modo de fide plenius, postea de caritate, deinde ⟨de sacramento⟩ dicit' (infra p. 2), ex verbo ‚dicit' fortasse conicere licet afferri dicta magistri, qui legit de materia huius libelli quo discipulus quidam lectionem transscripsit. Rem ita esse quodammodo significant dictio saepe brevis atque abrupta, in qua interdum aliquid deest sententiarum ordinis, propositiones iteratae, modus citationum magna ex parte non accurate, ad sensum tantum, aliquando etiam falso allatarum. Ex usu ecclesiae S. Ambrosii commemorato in nostris Sententiis (infra p. 27) non est coniciendum auctorem habitasse in Italia, sicut Gietl opinatus est (l. c. XXIII). Nam usus ille cognosci potuit ex loco libri Ambrosii qui *De sacramentis* inscribitur, quem locum Abaelardus affert in *Sic et non.* (PL 178, 1501 D sq.). Magistrum non fuisse Abaelardum ipsum, ex eo mihi videtur posse coniectari, quod non est verisimile eum in dicendo sibi ipsi contradixisse eo, quod initio operis alium partium ordinem annuntiaverit, quam postea a se annuntiatum commemoravit et tractando persecutus est[2].

Quicumque auctor sive magister ille fuit, ab Abaelardi doctrina nunquam discessit. Aliquantulum materiam a magistro tractatam amplificavit, cum aliae Sententiae hic et illic hanc materiam tractando excedant et interdum saltem de magistri doctrina iudicent, sive expressis verbis, sive silentio aliquid transeundo aut omittendo. Quae cum ita sint, perspicuum est *Sententias Florianenses* gravi testimonio esse doctrinae Abaelardi, inquantum aliunde iam est cognita. Errores Abaelardi a S. Bernardo atque Guillelmo de S. Theodorico impugnati[3] et a Concilio Senonensi damnati, qui in hoc libro sententiarum inveniuntur, ad textum huius editionis adnotati sunt. Similiter addita est

---

[1] Cf. A. Czerny, *Die Handschriften der Stiftsbibliothek St. Florian, Linz* 1871, 110.

[2] Cf. infra p. 1 et 21 sq.

[3] Bernardus, *Capitula haeresum Petri Abaelardi, Epistola* 190: *Contra quaedam capitula errorum Abaelardi* (PL 182, 1049—1072); Guillelmus, *Epistola ad Gaufridum Carnotensem et Bernardum abbatem Clarae-Vallensis* (PL 182, 531—533), *Disputatio adversus Petrum Abaelardum* (PL 180, 249—282).

epistola Gualteri de Mauritania episcopi, quam scripsit adversus Abaelardi eiusdemque discipulorum doctrinas; textus enim huius epistolae invenitur tantum in *Spicilegio* a d'Achery[1] edito.

Quo tempore Sententiae nostrae conscriptae sint, non certo constat. Posteriores sunt *Theologia* Abaelardi atque *Libro sententiarum* supra commemorato qui conscriptus est ante annum 1138 sive 1139.

In editione adornanda numeros textui ipse inserui titulosque omnes posui ex verbis aut saltem sensu auctoris desumptos. Quae corrigendo vel coniectando adieci, uncis acutis: ⟨. . . .⟩ designata sunt servato philologorum more[2].

Conventui Florianensi qui codicem mutuum dedit, gratias persolvo plurimas nec non quam maximas ago gratissimo animo huius collectionis editori, professori Dr. B. Geyer qui dux mihi fuit suscipiendi opus praesens perficiendique adiutor.

Bonnae, in Collegio Albertino, die 4. Octobris 1928.

H. Ostlender.

[1] L. d'Achery, *Veterum aliquot scriptorum qui in Galliae bibliothecis, maxime Benedictorum, supersunt Spicilegium*, ed. L. Fr. J. de la Barre, *Parisiis* 1723, tom. III, 524—526.

[2] Cf. O. Stählin, *Editionstechnik, Ratschläge für die Anlage textkritischer Ausgaben, Neue Jahrbücher f. d. klass. Altertum etc.* 23, 1909, 414.

Index.

Pag.

Prolegomena . . . . . V—VII

Sententiae Florianenses . . . . . 1—33

1.— 3. De fide, caritate, sacramento . . . . . 1— 2

4.—45. De fide . . . . . 2—21

6. De divina essentia 3

7.—11. De distinctione personarum . . . . . 3— 5

12.—13. De nominibus divinis . . . . . 5— 6

14.—16. De modo geniturae et processionis. . . . . 6— 7

17.—18. De processione Spiritus sancti . . . . . 7— 8

19.—20. De praedicatione . . . . . 8— 9

21. De cognitione Dei 9

22. De potentia Dei . . . . . 9—11

23. Si Deus plura possit facere quam faciat . . 11

24. De sapientia . . . . . 11—12

25.—29. De bonitate . . . . . 12—14

30.—33. De modo redemptionis . . . . . 14—16

34.—45. De persona Christi. . . . . 16—21

46.—75. De sacramento . . . . . 21—33

47.—50. De circumcisione . . . . . 22—24

51.—59. De baptismate . . . . . 24—28

60.—61. De exorcismo . . . . . 28—29

62.—75. De sacramento altaris . . . . . 29—33

Epistola Gualteri de Mauritania episcopi ad Petrum Abaelardum . . . . . 34—40

Index nominum et rerum ad Sententias Florianenses 41—47

Bibliographia 48

SENTENTIAE FLORIANENSES.

De fide, caritate, sacramento.

1. Tria[1] sunt in quibus summa nostrae salutis consistit: fides, *f.147r* caritas, sacramentum[2], de quibus, si ad plenum disseramus, sufficere credimus.

Fides autem est existimatio rerum non apparentium, id est sensibus non subiacentium. Non enim illius rei quae sensu aliquo percipi potest, debet dici. Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium *(Hebr. 11, 1)*. Quae sic est exponenda: substantia, id est fundamentum, id est exordium spei, ex quo spes processit; argumentum, id est probatio rerum non apparentium, quia fide credimus aliquas res non apparentes esse. Nam fides de non apparentibus est. Ideo autem spem non distinximus, quia sub fide continetur ut species sub genere. Nam spes est exspectatio adipiscendi commodi, et spes est semper de bonis futuris. Nam exspectatio alicuius incommodi adipiscendi magis debet dici desperatio quam spes. Fides vero dicitur tam de bonis quam de malis, de praesentibus et de praeteritis et de futuris. Dicimus autem sub fide spem contineri, tamquam sit eius species. Unde potest dici, quod omnis spes est fides.

2. Caritas[3] vero amor honestus dicitur. Honestus dicitur amor, qui refertur ad illum principalem finem, ad quem referri debet. Cum enim omnia, quae facimus, ad illius gloriam, quod est propter eum, facimus ita, quod principalem causam ostendimus ipsum Deum, tunc dicitur amor. Omnia quaecumque facimus ad ipsum referre debemus.

3 Tria *Theologia* Arta *F* 10 spes] fides *F* 12 apparentes non *F* 13 spe *F* 18 spe *F*

[1] *Cf.* Petr. Abaelard., *Theologia*, PL 178, 981 C, 984 B—D, *Sic et non l. c.* 1353 C; Hermann., *Sententiae (Epitome Theologiae christianae)* PL 178, 1695 sq.; Roland., *Sententiae, ed.* Gietl, 1 *et* 10 sq.; *Capitula Guillelmi* 1, PL 182, 532 A.

[2] *De hac divisione cf.* Gietl, *Die Sentenzen Rolands*, XXIV, n. 3 et 4; Denifle, *Abaelards Sentenzen und die Bearbeitungen seiner Theologia: Archiv für Literatur- und Kirchengeschichte des Mittelalters* I, 599—601.

[3] *Cf.* Abael., *Theol.*, 981 D—984 A; Herm., 1695 B sq., 1747 C sq.; Rol., 314 sq.

Sive enim comedamus, sive bibamus, sive aliud aliquid agamus[1], semper in omnibus debemus praetendere finem. Nequaquam enim comedere debemus, nisi ut illi serviamus; similiter vero bibere vel dormire, ut sobrii possimus esse laudibus suis. Et qui ita in omnibus exercitat se, caritatem habet, qui amor honestus est. Honestus autem dicitur ad differentiam inhonesti. Amor etiam dicitur bona voluntas erga Deum, *f. 147v* ut pro eo faciamus, quidquid faciemus, ita ut in illo finem | constituamus, ut dictum est. Sive enim propter alium aliquid agamus, sicut domum pro pauperibus, tamen finem in Deum constituere debemus.

3. Sacramentum[2] autem est visibile signum invisibilis gratiae Dei[3]. Etymologiam huius nominis talem dat Augustinus in Enchiridion[4]: ‚Sacramentum, id est sacrae rei signum'. Quod autem sit signum invisibilis gratiae Dei, visibile signum apparet in omnibus sacramentis. Unde in baptismo exterior ablutio designat animae ablutionem. Similiter matrimonium designat Christi et ecclesiae coniunctionem. Eodem modo panis, qui sumitur a multis in ecclesia, designat unitatem fidei, quae debet esse in ecclesia, et corpus unum ex multis compactum.

4. Modo[5] de fide plenius, postea de caritate, deinde ⟨de sacramento⟩ dicit[6].

De fide.

Fides alia catholica, alia fides non catholica. ⟨Non catholica⟩ dicitur quae de illis rebus, quae sive cognoscantur sive non, nihil pertinet ad salutem, veluti si dicamus Christum fuisse crispum vel aliquid huiuscemodi, quod credere vel non neque prodest nec nocet ad salutem. Fides autem catholica dicitur quae de illis, quas credere necesse est ad salutem. Catholica dicitur, quia communis est vel necessaria ad salutem, sine qua nemo potest salvus esse, quae etiam in sanctis symbolis continetur.

4 qui] quidem *F* 8 donum *F; cf. Herm.*, 1747 D *et Omnebene*, 210: ut in domo propter pauperes facienda. 11 Ethimologiam *F* 12 sacrarii *F* sacrae rei *Hermannus*, 1738 C *et Omnebene*, 155. 23 crispum] Christum *F; cf. Omnebene, Sentent.*, 156: quia crispus fuerit.

[1] *Cf.* 1 *Cor.* 10, 31.

[2] *Cf.* Abael., *Theol.*, 984 B; Herm., 1695 D sq., 1738 C; Rol., 155—157.

[3] *Ad hanc definitionem cf.* B. Geyer, *Die Siebenzahl der Sakramente in ihrer historischen Entwicklung: Theologie und Glaube* X, *Paderborn* 1918, 327—329, 335.

[4] *Non invenitur in Enchiridio, cf. autem De civit. Dei* X. 5. (PL 41, 282; CSEL XXXX, 452): sacramentum, id est sacrum signum; *sed Abaelardus paulo ante locum Enchiridii affert.*

[5] *Cf.* Abael., *Theol.*, 984 B, 986 B—D, *Expos. fidei in symbol. Athan.*, PL 178, 629 B; Herm., 1696 A, 1697 B—D; Rol., 14 sq.

[6] *scil.* magister.

5. Haec[1] autem fides continetur tam in cognitione ipsius creatoris quam in beneficiis ab eo collatis. Sunt enim quaedam de ipso creatore quae necessaria ad cognitionem, scilicet quia carnem sumpsit humanam, quod mortuus est et resurrexit etc.

6. ***De divina essentia.*** Prius[2] ergo de ipso creatore dicamus, omnia bona a quo procedunt, deinde de beneficiis ab eo collatis. Et primum dicendum, quid ipse sit. Et est dicendum ipsum esse puram essentiam, sicut ipse dixit Moysi: Qui est misit me ad vos *(Ex. 3, 14)*. Nec est dicendum, quod sit substantia. Nam substantia susceptibilis est contrariorum[3], quod ipsi non competit. Nec in illo qualitas est, nulla est variatio neque quantitas, quia crementum[4] non suscipit. Sed de eo dicendum, quia ipse est pura essentia. | Nec dicendum est, *f. 148 r* quia aliquod nomen, quod convenit alicui de personis, recipiat pluralitatem, praeter hoc nomen persona. Cum enim dicatur, quia Pater est omnipotens et Filius et Spiritus sanctus, non tamen est dicendum tres omnipotentes. Similiter cum unusquisque dicatur Deus, tamen non tres dii. Sed quamvis tanta sit in ipso singularitas, tamen hoc solum nomen persona recipit pluralitatem. Potest enim dici: Pater est persona et Filius et Spiritus sanctus, et Pater et Filius et Spiritus sanctus tres personae sunt.

7. ***De distinctione personarum.*** Hanc[5] distinctionem personarum praedicavit ipse Filius Dei. Unde videndum est, quare, ne videatur eius praedicatio inutilis. Videtur per hanc distinctionem homines ad cultum divinum allicuisse et per haec tria nomina summum bonum in Deo demonstrasse. Praedicatur enim omnipotens, non quia omnia possit, sed quidquid vult potest. Sed similiter videtur posse angelus dici omnipotens, quod potest omnia quae vult. Sed non est, quod quaedam potest velle, quae non potest facere, et quod etiam est qui possit ei resistere. Deus nihil potest velle quod non possit facere. Etiam non est aliquid ⟨quod⟩ potest ei resistere. Vel aliter, quia Deus habet per naturam, iste habet per gratiam. Dicitur itaque Deus, ut dictum est, omnipotens, quia quidquid vult potest; dicitur enim omnisapiens[6], quia eum latere

25 praedicatur] preter *F* 26 angelum *F*

[1] *Cf.* Abael., *Theol.*, 986 D, *Sic et non*, 1356 C; Herm., 1697 D, 1730 B.

[2] *Cf.* Abael., *Theol.*, 986 D—987 B, 988 B—D, 1057—1061, *Sic et non*, 1358 C, 1359 C sq., 1364 D; Herm., 1697 D—1698 B, 1699 A—C; Rol., 15, 18 sq.

[3] Aristot., *Categoriae* (PL 64, 198 B): Maxime vero substantiae proprium esse videtur, cum unum et idem numero sit, contrariorum susceptibilem esse.

[4] Abael., *Logica ‚Ingredientibus', Glossae super Praedicamenta, ed.* Geyer, 299: Nunc de motu quantitatis agamus, qui cremento et diminutione comprehenditur.

[5] *Cf.* Abael., *Theol.*, 989 B—990 C; Herm., 1699 D—1700 D; Rol., 23—25; *Capitula Guillelmi abbatis S. Theodorici* 2, PL 182, 532 A sq.

[6] *Cf.* Abael., *Theol.*, 1004 C; Herm., 1715 B.

nihil potest; dicitur etiam omnibenignus, quia vult omnia provenire eo modo quo melius provenire possunt. Quae tria quia in ipso conveniunt, dicitur esse summum bonum. Quia enim omnia potest, omnia scit, omnia vult provenire eo modo quo melius possunt, summum bonum esse dicitur. Quod volens Filius distinxit has tres esse personas, ad inferendum timorem hominibus, unde initium sapientiae timor Domini (*Ps. 110, 10*), et ut ad amorem intimandum incuteret, cum eum omnes benignum cognoscerent. Quapropter Filius hanc distinctionem personarum praedicavit. Unde quia per illa tria nomina designatur omnipotentia etc., inolevit consuetudo, ut fieret invocatio illarum trium ad effectum uniuscuiusque rei, ut per illum, qui novit
f.148v omnia et potest omnia et vult omnia | provenire eo modo quo melius possunt, res ad convenientem effectum perducatur. In istis tribus perfectio totius boni continetur.

8. Quod[1] autem per Patrem potentia designetur, per Filium sapientia, per Spiritum sanctum benignitas, hoc ex auctoritatibus habetur. Quare autem Pater dicatur maxime omnipotens, ut in hoc symbolo: ‚Credo in Deum Patrem omnipotentem etc.', cum Filius sit etiam omnipotens et Spiritus sanctus, videtur propter hoc, quia cum aliae personae habent aliunde existere, Pater ex se solummodo. Filius enim genitus est ex Patre et ex illo habet existere. Spiritus sanctus neque a Patre neque a Filio est genitus, neque non genitus, sed ab utroque procedens. Aliud autem non genitum esse, aliud ingenitum esse, sicut aliud est non pium, aliud impium. Impius enim est qui iniquitatem impietatis in se habet. Spiritus sanctus diceretur ingenitus, si nullum haberet principium; non genitus autem dicitur, quia non est ex substantia Patris et Filii.

9. Sciendum[2] est, quia quaedam nomina proprie competunt Patri, quaedam Filio, quaedam Spiritui sancto. Patrem creatorem, iustum, omnipotentem, aeternum, Filium providentem esse — sapientiae enim est providere — Spiritum sanctum benignum esse dicimus. Quaedam etiam nomina competunt Deo ex se, quaedam ex nobis. Ex ⟨se⟩, quod aeternus, omnipotens; ex nobis, quod iustus, quod unicuique dat secundum quod meretur, quod miserator, quod creator etc.

---

1 nihil *Abael. Herm. Rol.*, non *F* 24 qui] + habeat *F* 25 diceretur *Denifle* dicens *F* 31 quod] quo *F*

---

[1] *Cf.* Abael., *Theol.*, 987 C—988 A, 991 C—993 D, 1072 B—D, *Sic et non*, 1367 C, 1370 C sq., 1374 C; 1375 C, 1382 A; Herm., 1698 C sq., 1701 C—1703 A, 1719 D sq.; Rol., 21 sq.; *Capitula Guill.* 4, PL 182, 532 B; *Capitula haeresum Petri Abael.* II *et* XIV, PL 182, 1049 B, 1054 B; *Errores Petri Abael.* 2, *Denzinger, Enchiridion symbolorum, Friburgi Brisgoviae* 1928, Nr. 369.

[2] Cf. Abael., *Theol.*, 988 C, 992 A—993 A; Herm., 1699 B, 1702 A sq.; Rol., 43 sq.; *cf. infra p.* 5 sq. *et* 8.

10. Cum[1] autem tanta sit in Deo simplicitas et tres in eo dicantur personae, videndum est, quid sit persona in trinitate. In trinitate enim aliter persona, aliter in rhetorica, aliter in grammatica. In grammatica enim dicitur persona loquens vel ad quem loquitur vel de quo loquitur. In rhetorica iste vel ille dicuntur persona qui ducuntur in causam propter aliquod dictum vel factum. In trinitate vero persona Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus. Cum autem Deus sit una essentia, invariabilis, incommutabilis, simplex, sine partibus, tres autem in illo diversitates personarum distinguantur, dicendum est non ideo tres in eo esse essentias; nec dicendum, cum ipse sit Pater et Filius et Spiritus sanctus, quod sit tres res nec tres essentiae. Nec dicendum est tres personas esse tres res diversas in numero, sed proprietate. Sicut autem possu|mus dicere: unus et idem est tres personae in grammatica, non *f. 149r.* numero diversae sed proprietate, ita et Deus est tres personae, non numero, sed proprietate diversae. Sicut etiam in sigillo possunt assignari tria diversa proprietate, non numero, scilicet aes unde est sigillum, sigillum ipsum et sigillans, similiter in Deo Pater, Filius, Spiritus sanctus. Item sicut in sigillo potest videri, quod sigillum cerae est, sigillans autem ⟨tam⟩ cerae quam ex sigillo, ita Filius ex Patre, Spiritus sanctus ab utroque.

11. Haec[2] autem, in quibus possumus inquirere cognitionem quandam, ⟨sunt ea⟩ quae operatus est, per quae possumus habere cognitionem de ipso; sicut solem et calorem quem ex sui substantia emittit et splendorem. Unde possumus multam de Deo habere cognitionem. Quaedam etiam operatur in creaturis, unde possumus multa, quae videntur incredibilia, confirmare, ut partum virginis per apum fecit[3], quae tamen virgines semper permanent, resurrectionem per phoenicem quae comburit se et postea nova resurgit.

12. ***De nominibus divinis.*** Postquam[4] de illa distinctione personarum quae est in singularitate substantiae diximus, dicendum videtur, quae nomina competant Deo et unicuique tantum personarum, secundum se et secundum nos. Ergo haec nomina omnipotens, aeternus et talia illi secundum se et unicuique de personis competunt. Nam est Pater omnipotens et Filius et Spiritus sanctus, similiter aeternus. Quod vero sit miserator et iustus, haec ex nobis illi et singulis personis

2 in trinitate *in margine* 5 dicuntur *in margine* 18, 19 *fortasse* e cera 19 ita] uti *F* 31 tantum] tamen *F* 31 secundum *in margine* 33, 35 illis *F*

[1] *Cf.* Abael., *Theol.*, 1067 B—1069 C; Herm., 1715 B—1716 C; Rol., 28 sq.; *Capitula haeresum* I, PL 182, 1049 A.

[2] *Cf.* Abael., *Theol.*, 1068 C, 1070 C—1071 A; Herm., 1714 D; Rol., 26.

[3] *scilicet* confirmatum.

[4] *Cf.* Abael., *Theol.*, 988 C; *Theol. christ.*, 1230 B—1231 D, 1265 C sq.; Herm., 1716 C sq.; Rol., 43—47; *cf. supra p.* 4, *not.* 2.

congruunt nomina. Rursum dicendum, quia quaedam nomina secundum substantiam competunt ei, quaedam secundum relationem aliquam. Illa competunt illi ⟨secundum⟩ substantiam quorum simul significatio est. Esse non potest non omnipotens, aeternus et talia. Non enim potest esse, quin sit omnipotens, aeternus. Haec autem nomina, quae competunt secundum substantiam, de unaquaque persona praedicari possunt, ut Pater omnipotens et Filius et Spiritus sanctus. Nullum autem nominum, quod competat secundum substantiam, recipit pluralitatem. Cum enim dicatur: Pater est Deus, Filius est Deus et Spiritus sanctus, non tamen dicendum est: tres dii, similiter nec tres omnipotentes neque tres aeterni. Et sic de ceteris nominibus quae secundum substantiam sunt. *f.149v* Unum solum nomen in Deo recipit | pluralitatem, scilicet persona. Potest enim dici: Pater est persona, Filius et Spiritus sanctus, et Pater et Filius et Spiritus sanctus tres personae.

13. Hanc[1] distinctionem personarum habuerunt plures qui Deum ‚to agaton' vocaverunt et ‚mentem' ex eo genitam et ‚animam' ex eo procedentem. Unde et hanc distinctionem demonstrat Plato in sole, in quo tria proprietate diversa distinxit, scilicet solis substantiam, calorem, claritatem, per corpus solis Patrem distinguens, per claritatem Filium cui aperta sunt omnia, per calorem Spiritum sanctum qui hominum corda accendit sui ardore.

14. ***De modo geniturae et processionis.*** Distinctionem[2] autem personarum bene cognoverunt, sed modum geniturae et processionis non. De quibus modo dicemus et postea de praedicationibus, et quare Pater dicatur esse Pater et non Filius, et Filius genitus et Pater non, et Spiritus sanctus procedens a Patre et Filio et non genitus.

15. Pater[3] designat omnipotentiam et ideo quasi stipes dicitur. Filius dicitur, quod est ex portione[4] Patris. Filius autem omnem sapientiam designat. Omnis autem sapientia est quaedam potentia; sed quia Filius designat quandam potentiam, Pater omnem potentiam, ideo dicitur Filius esse genitus, quasi ex portione Patris exsistens. Nam Filius, ut dictum est, designat quandam potentiam. Sapientia enim quae ipse ⟨est⟩, est quaedam potentia et pars etiam potentiae. Spiritus etiam

3 simul] *fortasse* similis sign. est] significationem *F* 16 animam] omia *F* 17 sole *scripsi sec. Theologiam* socrate *F* 29 est] + a *F*

[1] *Cf.* Abael., *Theol.*, 1012 C—1013 B, 1022 C—1024 D, 1070 C—1071 A, *Sic et non*, 1385 A; Herm., 1720 D; Rol., 25—27; *Capit. Guill.* 5, PL 182, 532 B; *Errores* 3, *Denz.* 370.

[2] *Cf.* Abael., *Theol.*, 998 B; Herm., 1705 C.

[3] *Cf.* Abael., *Theol.*, 989 C sq., 994 B sq., 998 A sq., 1069 C, 1072 A—1073 B; Herm., 1700 A sq., 1705 C, 1708 C, 1716 D—1717 C; Rol., 21, 29 sq.; *Capit. Guill.* 3, PL 182, 532 B; *Errores* 1, Denz. 368.

[4] *Terminus* portio *neque invenitur in Theologia Abaelardi neque in aliis libris sententiarum scholarium eius; sed cf. Theol. christianam*, 1289 B.

sanctus non dicitur genitus. Nam benignitas, quae per ipsum notatur, non dicitur pars omnipotentiae neque sapientiae, sed dicitur procedere ab utroque. Nam illam benignitatem, quam nobis confert Deus, confert et quia potest et quia scit eo modo quo melius.

16. Hunc[1] modum geniturae et processionis voluerunt plures diversis exemplis notare et designare, quidam in sole, quidam in fonte. Nam fontem quasi Patrem constituunt, rivum quasi Filium qui ex Patre est, fluvium quasi Spiritum sanctum qui ex utroque est. Hoc autem exemplum competere non videtur. Non enim potest dici, quod haec tria simul una res sint uno eodemque tempore, sicut potest dici, quod Pater, Filius, Spiritus sanctus unus Deus, una essentia. In sigillo vero melius possunt aptari. Nam ex aere fit si|gillum, et ex aere et sigillo fit sigillans, et haec tria: aes, sigillum, sigillans sunt una res. *f. 150r*

17. ***De processione Spiritus sancti.*** Spiritus[2] sanctus, cum benignus dicatur, benignitas illa extendit se usque ad nos. Nam benignitate ipse non indiget, ut nos, neque benignitatem sibi conferre potest. Duplex etiam dicitur processio Spiritus sancti, una in affectu, alia in effectu. Illam quae est in affectu habuit a principio; nam semper benignus fuit, etiam antequam homines essent vel aliquae creaturae. Illam vero quae est in effectu non habuit, nisi ex quo res coeperunt esse, quibus Deus statim suam contulit benignitatem. Quod volens Plato distinguere dixit animam mundi creatam, intelligens Spiritum sanctum incipere vivificare res, ex quo coeperunt esse. Nam Spiritus sanctus principium habuit in effectu, non affectu; nam affectu aeternus, effectu temporalis. Nam in tempore coepit vivificare et benignitatem suam hominibus impendere.

18. Sciendum[3] quod Graeci dissentiunt a nobis de processione Spiritus sancti, quem dicimus procedere a Patre et Filio, illi autem non dicunt processum esse a Patre et Filio, sed a Patre. Neque tantum dicunt a Patre solo; sed quia in evangelio dicit ipsa Divinitas: mittam vobis Spiritum sanctum qui a Patre procedit (*Joh. 15, 26*). Inde confirmatum est in quattuor conciliis[4] magnis et sub anathemate interdictum, ne aliquis adderet vel minueret verbum de processione Spiritus sancti his verbis: ‚Spiritus sanctus a Patre procedit.' Quia ergo nos dicimus, quod ab utroque procedit, dicunt nos reos anathematis et dicunt etiam nos contradicere illis[5] de processione. Videtur autem tota contro-

16 conferre] + non *F* 26 quod] + enim *F*

[1] *Cf.* Abael., *Theol.*, 1068 C—1069 C, 1070 C—1071 D, 1079 C; Herm., 1715 C, 1717 B, 1719 C; Rol., 26—29; *Capit. haeresum* I, PL 182, 1049 D.

[2] *Cf.* Abael., *Theol.*, 1072 B—1073 B, 1080 B—1084 A; Herm., 1717 D sq., 1720 D—1721 D; *Capit. Guill.* 5, PL 182, 532 B; *Errores* 3, *Denz.* 370.

[3] *Cf.* Abael., *Theol.*, 1073 A sq., 1075 A—1080 A; Herm., 1717 D, 1718 B—1719 C; Rol., 33—38.

[4] *Cf.* Gietl, *Die Sentenzen Rolands, Freiburg i. Br.* 1891, 34.

[5] *scil.* verbis.

versia inter nos et illos esse in solis verbis, non in sententia. Nam cum dicitur: ‚Mittam vobis Spiritum qui a Patre procedit', non excluditur Filius. Non enim dicitur: a Patre solo. Ipsa etiam Veritas aperte docet a se esse, ubi dicit Evangelista: Inspiravit Jesus et dixit discipulis suis: accipite Spiritum sanctum (*Joh. 20, 22*); nisi enim ab ipso procederet, non recte dixisset: Accipite etc. In hoc *f. 150v* etiam, quod Pater omnipotentiam, Filius | summam sapientiam designat, apparet Spiritus sancti processus; nam quod potens et sapiens est, benignitas illa quae per Spiritum sanctum notatur, usque ad nos extenditur. Idem etiam tam apud nos quam apud illos plures auctoritates plane confitentur Spiritum ab utroque procedere. Quod enim dicit[1] Spiritum a Patre per Filium procedere, non negat a Filio procedere, sed maxime a Patre. Nam Pater est principium personarum, quia ab illo Filius et Spiritus sanctus habent esse.

19. ***De praedicatione.*** Amodo[2] de praedicatione dicamus. Sciendum, quod omnia nomina possunt praedicari de aliis praeter illa, quae relationem habent, et praeter hoc nomen trinitas. Potest enim dici: Pater est aeternus et Filius et Spiritus sanctus. Similiter: Pater est Deus et Filius et Spiritus sanctus. Non tamen dicendum: Pater est Filius vel Spiritus sanctus; nam ista nomina relationem designant. Si enim diceretur: Pater est Filius, idem esset ac si diceretur: potentia gignens sapientiam ex se est sapientia genita ab ipsa omnipotentia. Velut in exemplo de sigillo apposito apparet, quod nomina relationum non praedicantur de se. Nam in sigillo ipsum aes designat materiam, sigillum vero materiatum, nec est dicendum: materia est materiatum, nec ⟨e⟩converso. Similiter non est dicendum, ⟨quod⟩ aereum, quod est materia sigillantis, sit sigillans. Itaque nec Patrem Filium neque Filium Patrem neque Spiritum sanctum dicere possumus, sed illud, quod ⟨Pater⟩, potest Filius esse, cum sit idem, sicut idem, quod est materia, materiatum. Nec dicendum esset, quod Pater sit trinitas. Id vero maxime sit considerandum, utrum nomina relationum permisceantur in praedicationibus.

20. De[3] providentia Dei rursum dicendum videtur, de sapientia divina et de eius benignitate, et quae ad sapientiam spectent, quae ad potentiam, quae ad benignitatem, quomodo etiam potuit investigari

2 a Patre] ex Patre *F* 14 habet *F* 18 Similiter . . . vel Spiritus sanctus *bis in F* 23 apposito] appo nec *F* 29 materiatur *F* 30 sit] fit *F* 31 ut *F*

[1] *scil.* auctoritas, *nempe* Hilarius, *ut ex Theologia* (p. 1079 D) *patet*; *cf.* Hilar., *De Trinit.* l. XII. (PL 10, 472 A): . . . sanctum Spiritum tuum qui ex te per unigenitum tuum est.

[2] *Cf.* Abael., *Theol.*, 1074 A—1075 A, *Theol. christ.*, 1231 B; Herm., 1720 A—C, Rol. 43—48.

[3] *Cf.* Abael., *Theol.*, 1085 D, 1091 B; Herm., 1722 B, 1724 B.

Deum esse et sciri, et quomodo etiam ratione humana potuit cognosci unus Deus esse et non plures.

21. *De cognitione Dei.* | Primus[1] autem homo potuit vel per *f. 151 r* angelum vel per aliqua signa, cum in paradiso esset, cognitionem de Deo habere. Philosophi vero huiusmodi rationibus cognoverunt: Videntes enim solem et alios planetas tam rationabiliter cursum suum habere, cognoverunt totum mundum inter omnia, quae regebantur, melius regi, quam magna essent. Quam providentiam ⟨tam facile⟩ cognoverunt quam aliqua alia quae in mundo erant. Unde etiam cognoverunt ipsum aliqua providentia ab aliquo esse. Quam plures diversis nominibus appellaverunt, quidam summum bonum, ut Socrates. Quod non esset nisi unus Deus, hoc cognoverunt ex eo quod ipse sufficiebat ad omnium administrationem.

22. *De potentia Dei.* Modo[2] de illis quae ad eius potentiam pertinent dicamus. Omnipotens dicitur Deus non quod omnia possit, sed quia omnia quae vult potest. Quod aeternus sit, quod invariabilis, quod simplex essentia sit, quod partibus careat, quod moveri non possit, quod stabilis sit, quod de loco ad locum non moveatur, omnia haec ad potentiam eius spectant. Moveri autem non potest; nam aliquem de sex motibus[3] habere non potest: neque generationem neque corruptionem, non augmentum neque diminutionem, nec permutationem neque secundum locum mutationem. Generatio[4] dicitur, quando ingreditur generalem et specialem statum, velut si aliquid fieret animatum modo, quod prius animatum non esset; postea continetur sub animato corpore. Haec autem generatio Deo non competit. Corruptio vero nullomodo competit ei. De augmento et diminutione patet, quia Deus neque augetur neque minuitur. Permutatio non convenit; nam Deus non permutatur. Non enim modo iratus, modo pacatus. Cum enim dicitur: modo irascitur, modo pacatur nobis, nihil aliud est, quam: dat nobis prospera vel adversa. De loco ad locum non movetur, quamvis ubique dicatur esse vel quamvis ubique dicatur de caelis ad terras descen- | *f. 151 v*

8 quam] q *F* 8 tam facile *addidi secundum Herm.*, 1724 C: sapientiam in istis regendis facile cognoverunt. 10 providentia] + quae *F* 12 non] nisi *F* 19 eius spectant] exspectant *F* 19 aliquem] aliqua *F*

[1] *Cf.* Abael., *Theol.*, 1085 D—1091 A; Herm., 1724 B—D; Rol., 16 sq.

[2] *Cf.* Abael., *Theol.*, 1093 A, 1104 B—1109 A, *Sic et non*, 1393 B, 1394 B, 1397 B, 1399 C, 1404 D, 1405 D; Herm., 1722 B, 1723 A—1724 A, 1729 D, 1738 A sq.

[3] Aristot., *Categ.* (PL 64, 289 C): Motus autem species sunt sex: generatio, corruptio, augmentum, diminutio, alteratio et secundum locum mutatio.

[4] Abael., *Logica ‚Ingredientibus'*, *Glossae super Praedicamenta*, *ed.* Geyer, 297: Generationem autem Boethius vocat ingressum in substantiam, quando videlicet quodlibet corpus novum specierum statum assumit, ut si hoc inanimatum fiat corpus animatum vel animal vel homo.

disse. Dicit enim beatus Augustinus[1]: ‚Deus alicubi non est' et probat sic: ‚Quod corpus non est, alicubi non est; Deus autem corpus non est, ergo alicubi non est'. Quid igitur est, quod Deus ubique essentialiter dicitur esse? Nihil aliud est nisi Deum sufficientem esse ad omnia administranda ex se. Unde dicitur: Si ascendero in caelum, tu illic es, si descendero etc. (*Ps. 138, 8*), et alibi: Nihil abscondit se a calore eius (*Ps. 18, 7*). Cum autem ubique essentialiter sit, de loco ad locum moveri non potest; nam locus non est in quo non sit. Cum dicitur de caelo ad terras descendisse, nihil aliud est, ut dicit Augustinus[2], nisi aliquid inusitatum vel novum facere. Hoc quod hominem assumpsit, nihil aliud est, nisi hominem in unam personam sibi univit. Quod etiam dicitur factus quod non erat, id est: in unam sibi personam univit hominem, quod prius non fecerat. Neque tamen divinitas in hominem neque homo in divinitatem permutatus est, immo unaquaeque natura impermixta permansit. Ad quod dictum spectat illud Anastasii[3]: ‚Nam sicut anima et caro etc.' contra haereticos qui putabant divinitatem transisse in humanitatem et e converso, vel duas personas esse in Christo propter duas naturas. Quod de loco ad locum non moveatur, docet Augustinus[4] qui dicit: ‚Spiritus increatus nec loco nec tempore movetur. Corpus vero tempore et loco movetur'. Spiritus vero creatus medius inter corpus et spiritum increatum. Tempore, quia hoc habet a corpore, movetur, loco non movetur, quod habet a spiritu increato. Loco vero moveri est de loco ad locum transire, quod corporibus convenit. Tempore moveri est circa qualitates permutari, quod corporum est et creatorum spirituum. Nam modo irati, modo pacati sunt. Neutrum istorum spiritui increato competit. Nam neque ad locum de loco movetur, neque modo iratus, modo pacatus est. Quod autem de anima dicitur, quod in corpore est, nihil aliud est, nisi quod corpus vivificat. Quod descendit[5], desinit vivificare. Nam in loco

15 quaeque una persona *F* 22 loco non movetur *superscriptum*

[1] August., De diversis quaest., qu. XX. (PL 40, 15): Deus non alicubi est. Quod enim alicubi est, continetur loco: quod continetur loco, corpus est. Deus autem non est corpus: non igitur alicubi est.

[2] *De civit. Dei*, l. XVI. c. 5. (CSEL 40, 135; PL 41, 483): Non loco movetur Deus, qui semper est ubique totus, sed descendere dicitur, cum aliquid facit in terra quod praeter usitatum naturae cursum mirabiliter factum praesentiam quodam modo eius ostendat.

[3] *Symbolum ‚Quicumque'*, *Denz.* 40: Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus. — Anastasius *apud scriptores saepe habetur pro* Athanasio.

[4] *De Genesi ad literam* l. VIII. c. 20. n. 39. (CSEL 28, 259; PL 34, 388): Spiritalem autem creaturam corporali praeposuit, quod spiritalis tantummodo per tempora mutari posset, corporalis autem per tempora et locos. . . . ipse nec per tempus nec per locum motus conditor spiritus.

[5] *scil.* anima Christi.

anima esse non potest, cum distantiam aliquam facere non possit. Deus ubique esse dicitur, nam, ut dicit Hieronymus[1], ‚superest regendo, subtus est sustentando, intus disponendo vel vivificando'.

23. *Si Deus plura possit facere quam faciat.* | Hoc[2] iterum ad omnipotentiam spectat inquirere, si Deus plura possit facere quam faciat vel si possit meliorem voluntatem habere vel minorem quam habeat. Nihil potest facere sine ratione, ergo nulla praetermittit facienda sine ratione, ergo non potest facere quae non facit. Nam ratio est quare praetermittat facere quae non facit. Aliam voluntatem non potest habere quam habet. Nam voluntas eius aeterna est neque meliorem voluntatem habere potest, cum deterior esse non possit. Quando autem unum de duobus eligit et alium reprobat, rationem habet, quod non eligit; nam non potest velle contraria. Hoc autem, quod non potest nisi ea quae facit facere neque nisi quae vult velle, ad omnipotentiam eius spectat. Unusquisque autem hominum potest salvus esse. Natura enim illorum apta est ad suscipiendas mutationes. Deus autem non potest omnes salvos facere; nam natura eius repugnat ad hoc, cum sit immutabilis. Veluti est de voce quae est audibilis, etsi surdus ⟨non⟩ possit audire; nam eius natura apta est ad hoc. Similiter natura hominis variabilis, natura Dei invariabilis. *f. 152r*

24. *De sapientia.* Dictum[3] est de illis quae pertinent ad potentiam. Modo dicamus de illis quae pertinent ad sapientiam. Ad sapientiam autem spectant: providentia, praedestinatio, fatum. Idem autem praescientia et providentia. Deus autem providentiam habere dicitur, quia procul videt res, id est prius videt eas quam sint. Praescientia est de re scientia, antequam sit. Providentia autem Dei tam de bonis quam de malis est; nam Deus providet tam bona quam mala. Praedestinatio[4]

2 Ieronimus *F* 18 surdus] mutus *F*, *cf. Theol.*, 1100 B: hominibus surdis existentibus. 26 tam de] tandem *F*

[1] *Non invenitur apud Hieronymum, sed cf.* Gregor., *Moralium* l. II. c. 12. (PL 75, 565 C): Quia enim ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia; et superior est per potentiam, et inferior per sustentationem; exterior per magnitudinem, et interior per subtilitatem: sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interius penetrans. *Idem, In Ezechielem* l. II. Hom. V. 11. (PL 76, 991 B sq.): Ipse est ergo interior et exterior; ipse inferior et superior; regendo superior, portando inferior, replendo interior, circumdando exterior. Sicque est intus, ut extra sit, sic circumdat, ut penetret, sic praesidet, ut portet, sic portat, ut praesideat.

[2] *Cf.* Abael., *Theol.*, 1093 D—1101 D, *Sic et non*, 1393 B—1397; Herm., 1724 D bis 1726 C; Rol., 49—58; *Capit. haeres.* III, PL 182, 1049 C; *Errores* 7, *Denz.* 374.

[3] *Cf.* Abael., *Theol.* PL 178, 1109 A sq., 1111 B—1114 A, *Theol. ed. Cousin*, 143—148, *Sic et non*, 1386 C sq., 1387 C, 1388 A, 1398 B, *Expos. in ep. ad Rom.*, 824 B; Herm., 1728 B—1729 C; Rol., 60—65, 69—79.

[4] August., *De praedest. sanctor.* c. 10. n. 19. (PL 44, 974): . . . praedestinatio est gratiae praeparatio.

vero est gratiae praeparatio et ipsa praedestinatio sub providentia continetur; nam praedestinatio de bonis futuris tantum est. Providentia vero tam de bonis quam de malis. Fatum autem est illa dispositio divina, quae est in rebus, et fatum est quasi passivum de fatare. Fatare autem est quasi effectu disponere, fatum vero illud quod in effectu est, id est quod rebus inhaeret, sicut Deus disposuit. Quod autem videtur posse probari omnia necessario evenire per providentiam, ad hoc
f.152v videtur: nullam neces|sitatem infert providentia Dei magis quam providentia alicuius hominis. Nam si Deus providet hoc futurum, necesse ita esse. Similiter de providentia hominis potest ita dici. Necesse autem non ex rei natura contingit, sed ex adiunctione. Nam non potest esse, quod Deus provideat aliquid futurum esse quod non contingit. Hoc tamen rei natura non exigit, sed adiunctio. Nam potest rei natura bene pati, quod non sit, sed quod provisa sit et non sit, id non potest esse. Quod autem postquam provisum est Martinum salvum esse, pro nihilo postea laboraturum, id minime dicendum est. Nam provisum est Martinum sic operari et per haec opera salvari, non aliter.

25. ***De bonitate.*** Postquam[1] de potentia et sapientia disseruimus, de illis quae ⟨ad⟩ eius bonitatem spectant disseramus. Et imprimis quaerendum, si Deus malis consentiat, si mala velit, si iuste vel iniuste puniat, si causa sit malorum.

Videtur malis consentire, cum in mundo mala fieri patiatur. Sed Salomon[2] dicit, quod facientes eadem poena punientur. Illi dicuntur consentire malo, cum sciant aliquem aliquod malum velle facere, et possunt disturbare[3] et ad eos pertinet et non disturbant. Deus non videtur consentire malo; cum sciat, quare illud debeat fieri, non potest disturbare. Nam ratio est, quare nec ipse contra rationem facere potest.

26. Si[4] vero velit mala fieri, ⟨quaerendum est⟩. Dicimus Deum velle fieri. Quaeritur autem, si voluit tradi a Juda. Nam bonum fuit tradi a Juda, et Deus vult quidquid bonum est; sed bonum est illud tradi a Juda, igitur Deus voluit tradi a Juda. Nam ‚bonum fuit tradi a Juda' non dicit: ‚velle tradi ab ipso'; nam sic iniuste punisset. Dicitur ‚Deum velle' duobus modis, pro ‚approbare' et ‚disponere'. Cum ergo

1 vero est gratiae praeparatio *bis in F* 5 effectu] affectu *F* 8 videri *F* 12 provideat] + vel *F* 17 omnia *F* 26 consentire *Denifle* continere *F* 31 Juda] + i. e. *F* 32 dicit] dr *F*

[1] *Cf.* Abael., *Theol. ed.* Cousin, 148 sq., *Theol.* PL 178, 1098 A sq., *Sic et non*, 1389 B; Herm., 1729 C; Rol., 68; *Capit. haeres.* VII, PL 182, 1052 A; *Errores* 8, *Denz.* 375.

[2] *Cf. Sap. 18, 11*: Simili autem poena servus cum domino afflictus est.

[3] *scil.* impedire quominus faciat.

[4] *Cf.* Abael., *Theol. ed.* Cousin, 149, *Theol.* PL 178, 1099 B; Herm., 1726 D, 1735 C sq.; Rol., 62 sq.

dicimus: ‚Deus vult tradi a Juda, id est disponit', verum est, ‚vult, id est approbat', falsum est.

27. Si[1] iuste punit, videndum est. Nam Deus, cum unicuique possit dare gratiam suam qui bene operatur, et uni det et alii subtrahat, videtur non solum iniuste punire, sed etiam iustum esse, quod ⟨non⟩ punit, cum nullus neque bene operari nec etiam velle | bonum possit sine adiutrice *f.153r* gratia. Ita enim videtur de Deo esse sicut de aliquo medico, qui praeparasset potionem infirmo et diceret illi: tene potionem istam et salvus eris, ille vero debilis esset, ita quod nullo modo surgere posset. Cum ergo ille potionem accipere nequeat, non est puniendus, sed potius culpandus medicus qui potionem ita non praeparavit, quod ille habere potuisset. Non autem ita est de Deo. Nam Deus unicuique gratiam suam exponit quam quisque habere potest, si modo non remanserit. Ita enim facit, sicut mercator aliquis qui exponit equum suum ad vendendum. Quem vident qui equo indigent illo. Unus enim illorum, qui promptus praeparat, et nititur ad hoc, ut habeat, et praeparat ea, quae necessaria sunt, et emit equum. Alter vero propter inertiam suam non laborat et ideo non possidet. Similiter est de Deo. Ipse enim exponit gratiam suam unicuique eique etiam liberum dat arbitrium et rationem qua discernit bonum et malum; et hoc habeat totum, quod gratia; dat etiam unicuique potestatem posse habere. Sed quidam laborant et consequuntur, quidam autem, cum possint habere, sciant se debere niti, ut habeant, dedignantur et per pigritiam et negligentiam amittunt quod alii possident. Unde Deus non est vituperandus, si puniat, et illi iuste puniuntur.

28. Restat[2] dicere, si Deus sit causa malorum. Augustinus dicit[3], quod ‚non est causa malorum'. Non enim est efficiens, neque materialiter neque finaliter efficiens, quod non facit materialiter, quod ex eo non proveniunt, neque finaliter, quia ⟨non⟩ propter ipsum vel per. Videtur tamen Deus causa malorum esse, quamvis mala nunquam causa malorum fiant eo ordinante. Praeter has sunt plures aliae. Dicitur autem ideo causa malorum esse: nam utile est mala esse, ut ipsa Veritas attestatur dicens: Necesse est, ut veniant scandala; vae autem homini

1 vult, id est approbat] multi adprobant *F* 5 etiam] + quia *F* 13 modo *Denifle* in eo *F* 15 promptus (?) *F* pro posse *Denifle* 19 eique *Denifle* ei q *F* 30 nunquam] neque *F* 31 praeter has sunt *in margine*

[1] *Cf.* Abael., *Theol.* PL 178, 1099 B, 1149 C, *Expos. in ep. ad Rom.*, 917 C bis 919 A; Herm., 1755 D sq.; Rol., 317 sq.; *Capit. Guill.* 6, PL 182, 532 B; *Capit. haeres.* VI, PL 182, 1051 A; *Errores* 6, *Denz.* 373.

[2] *Cf.* Abael., *Theol. ed.* Cousin, 149, *Theol.* PL 178, 1098 B, *Sic et non*, 1389 D; Herm., 1726 D; Rol., 63.

[3] *De diversis quaestion. octoginta tribus*, qu. XXI. (PL 40, 16): Boni igitur tantummodo causa est (*scil.* Deus) . . . Quocirca mali auctor non est.

illi etc. (*Mt. 18, 7*). Dicit etiam Augustinus[1] peccata nihil esse, et dicit[2] unamquamque substantiam in se bonam esse, malam autem ex
f. 153 v corruptione naturae, et falli dicit[3] | regulam dialecticae, scilicet quod duo contraria simul sunt in eodem. Sed similiter possunt dicere, cum Socrates sit bonus citharoedus et malus dialecticus, quod duo contraria in eodem essent.

29. Fidem[4] dicimus esse bipartitam, illam scilicet quae pertinet ad salutem nostram. Eam enim dicimus esse tam in cognitione divinae naturae quam in beneficiis a Deo collatis. Sed dicto de cognitione divinae naturae secundum quod Deus voluit, de beneficiis a Deo collatis dicamus.

30. ***De modo redemptionis.*** Et[5] primum de illo singulari beneficio, de Filio, quem dedit nobis redemptionem, disseramus. Et cum alii etiam redemptionis modi essent Deo possibiles, quare hunc elegit et non alium, eloquamur.

Dicunt quidam, quod homo se subiecerat diabolo propter primum peccatum. Unde inquiunt Deum non posse ei auferre hominem, nisi quadam redemptione, nisi iniuriam ei faceret. Non enim conveniebat ei auferre servum suum, nisi prius deliquisset diabolus. Quocirca Deus sumpsit carnem in qua latuit. In qua diabolus, quia voluit potestatem suam exercere, sic in alios iure potestatem amisit quam in alios habebat, cum supra dominum suum vellet habere dominium. Dicunt etiam, quod homo non valeret ad redimendum, nam natura eius corrupta erat a primo parente, neque angelus, cuius natura corrupta erat[6]. Nos vero dicimus, quod haec ratio non est valens. Nam Deus poterat condonare deccata homini et poterat liberare eum instauratione, etsi carnem non assumpsisset, sicut fecit Mariae Magdalenae et aliis quam pluribus. Si enim Deus permiserat potestatem diabolo puniendi hominem, poterat ei auferre iuste sicut suum, neque in hoc aliquam ei iniuriam ⟨fecisset⟩. Quod autem diabolus surripuit ei persuadendo, quod peccaret, tanto

3 *Post* dicit *in F spatium, ultimum verbum paginae rasura deletum est.* 4 simul] sic *F* 17 red.] ratione *F* 29 surripuit] surgens *F*, *cf. Rol.*, 160: a veri domini potestate surripuit.

[1] *Enchiridion*, c. 11. (PL 40, 236): . . ac per hoc ergo malum nec vitium erit, quia nihil est, cum evacuatur. Quid est autem aliud quod malum dicitur nisi privatio boni?

[2] *l. c.* c. 13. (PL 40, 237): omnis natura, inquantum natura est, bonum est. c. XII. (ibid.): malum est eius (*scil.* naturae) corruptio.

[3] *l. c.* c. 14. (ibid., 238): Quapropter in iis contrariis, quae mala et bona vocantur, illa dialecticorum regula deficit, qua dicunt nulli rei duo simul inesse contraria.

[4] *Cf.* Herm., 1730 B; Rol., 154 sq.

[5] *Cf.* Abael., *Expos. in ep. ad Rom.*, 833 D—836 A; Herm., 1730 C—1731 A; Rol., 157—160; *Capit. Guill.* 7, PL 182, 532 B; *Capit. haeres.* IV, PL 182, 1050 A; *Errores* 4, *Denz.* 371.

[6] *scil.* per superbiam, *cf.* Rol., 158.

iustius potuit eum Deus illi auferre, quod sibi voluit subicere, quod ⟨Dei⟩ fuerat, et domino servum suum emancipare. | Si etiam hoc *f. 154 r* dicamus, quod sine pretio potuit rehaberi, constat posse redimi, cum diabolus nullum pretium pro eo assumeret neque vellet Deum mori pro eo. Quod satis liquet in eo quod uxor Pilati, ne interficeretur, persuadere voluit, ex quo eum Deum esse cognovit.

31. Nobis[1] autem ideo videtur Deus hunc modum elegisse, cum alii multi modi redemptionis essent, ut dicit Augustinus[2], sed nullus eorum convenientior fuit, quia per istum modum redemptionis, quem elegit, tantam caritatem nobis exhibuit, maiorem quam nemo habuit, ipso attestante qui ait: Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis (*Joh. 15, 13*). Unde nobis tantum ardorem contulit, ut etiam nostra natura propter afflictiones et contritiones, quas pro eo patimur, meruit sublimari etiam supra angelos. Si enim angeli tantam gloriam sunt assecuti eo quod non consenserint, quanto maiorem gloriam sunt assecuturi et debent consequi illi qui etiam morti succumbunt ardore amoris illius. Ideo autem hunc modum elegit, ut meliores post lapsum redderet Adae qui possent infiniti esse ante lapsum. Tantas etiam ignominias pro nobis Christus passus est, ut amorem sui nobis immitteret, quantas pro illo nullus passus est. Si quis enim cogitat se pro Christo magna fecisse, prius cogitet Deum pro illo maiora sustinuisse. Quod innuit Ezechiel[3] ubi dicit quod vidit: Audiunt animalia extensis alis, sed cum intonuit vox desuper thronum, animalia illa submittebant alas. Haec autem animalia significant plures sanctos passos fuisse pro Christo. Qui extendunt alas, quando eorum passio praedicatur; ⟨quando Christi passio praedicatur⟩, tunc illi submittunt alas. Nam passio illorum in comparatione passionis Christi parva aut nulla.

32. Modo[4] dicamus, quare persona Filii incarnata est et non Patris vel Spiritus sancti. Cum per Patrem potentia intelligatur, non oportebat, quod illa persona incarnaretur. Nam videtur, quod ad hoc incarnata esset, ut potentiam quae longe afuit a Deo, in terris exerceret. Per Filium sapientia designatur et ideo dicitur Verbum incarnatum fuisse. | Qui *f. 154 v* Filius sapientiam exercuit in terra, qui docuit non esse peccata exteriora

3 constat] + non *F*, + enim *Denifle* 4 vellet] velle *F* 5 pylati *F* 9 convenientior] conventior *F* 23 vidit *in margine*

[1] *Cf.* Abael., *Expos. in ep. ad Rom.*, 836 A—D, *Theol. christ.*, 1278 C—1279 A; Herm., 1730 B sq., 1731 A—1732 A; Rol., 157—159.

[2] *De Trinit., l.* XIII. c. 10. n. 13. (PL 42, 1024): ostendamus non alium modum possibilem Deo defuisse, cuius potestati cuncta aequaliter subiacent; sed sanandae nostrae miseriae convenientiorem modum alium non fuisse, nec esse oportuisse.

[3] *Cf. Ezech. 1, imprimis v. 25.*

[4] *Cf.* Abael., *Theol. christ.*, 1278A-1279D; Herm., 1722C-1723A; Rol., 48sq., 158.

opera, sed interiorem voluntatem[1], et in nobis humilitatem et patientiam radicavit. Spiritus sanctus incarnatus non dicitur qui amorem vel benignitatem designat. Nam quamvis amorem in nobis plantaret, tamen illum ardorem amoris in nobis plantare non venerat quem postea Spiritus sanctus, scilicet ut unusquisque animam suam pro Deo poneret. Duarum factae sunt missiones, una Filii attestata aliqua dilectione accendenda, alia Spiritus sancti, ubi illam lineam ardore suo solidaret Spiritus sanctus, ita scilicet, ut, qui ad vocem ancillae unius trepidavit, ante Neronem intrepidus mortem sperneret.

33. Ad[2] quid fuerit iste modus redemptionis. Dicendum est: ad redimendum, scilicet a peccato cuius eramus servi. Nam cum caro suggerit aliquid inhonestum faciendum, ratio persuaderet non faciendum. Quae reminiscetur de illa maxima exhibitione Dei quam fecit pro nobis, qui exinanivit semetipsum pro nobis formam servi accipiens. (*Phil. 2, 7*). Et ideo haec redemptio talis facta est a Deo in persona Filii, ut quotienscumque reminisceremur dilectionem, quam nobis exhibuit, a peccatis abstineamus nos. Vel potest dici, quod fueramus diaboli, quia eius suggestionibus occumbebamus, a quibus nosmetipsos retraximus propter admirabilem dilectionem, quam nobis exhibuit, et propter dolores, quos pro nobis tulit, suggestiones diaboli spernemus et rationi, quae contra appetitus corporis resistit, potius ⟨quam⟩ diabolo consentiremus.

34. ***De persona Christi.*** De[3] persona Christi dicendum videtur, et quae de illo possunt praedicari. Multi fuerunt erronei qui duas in Christo asserebant personas propter duas naturas, divinam videlicet et humanam ex quibus Christus constat. Ad quae delendum beatus Anastasius[4] expressam inducit similitudinem animae et carnis. Nam quamvis anima et caro ex toto diversa sint, tamen inde efficitur unus homo et una persona, non duae, et unaquaeque retinet proprietatem
f. 155 r suam neque una transit in aliam. Similiter in Christo cum sint | duae naturae, humana et divina, non utraque est ibi ⟨persona⟩, sed una coniungitur alteri in personam unam et unaquaeque illarum retinet proprietatem suam naturalem neque una in aliam transit, non divi-

7 lineam *in textu et in margine* 15 tal *F*, taliter *Denifle* 16 abstinemus *F* 17 subiestionibus *F* 27 divisa *F* 32 unam *F*

[1] *Cf.* Abael., *Ethica seu Liber Scito teipsum*, PL 178, 640 B; Herm., 1753 C, 1754 C; *Capit. Guill.* 12, PL 182, 532 B sq.; *Capit. haeres.* X, PL 182, 1052 D; *Errores* 13., *Denz.* 380.

[2] *Cf.* Abael., *Ethica*, 638 D sq., 646 B—647 C, 659 D; *Capit. Guill.* 10, PL 182, 532 B; *Capit. haeres.* XIII, PL 182, 1054 A; *Errores* 16, *Denz.* 383.

[3] *Cf.* Abael., 1106 C—1108 B, *Expos. symboli apost.*, PL 178, 624 B sq., *Sic et non*, 1433 B; Herm., 1732 B—1733 B.

[4] *Cf. supra p.* 10[3].

nitas in humanitatem nec e converso. Contra hanc haeresim Boethius[1] diffinit personam dicens: ‚Persona est rationabilis creatura individua.' Aliter vero persona dicitur in trinitate[2], Deus scilicet Pater, Deus Filius, Spiritus sanctus Deus.

35. Dicto[3] de persona Christi, de praedicatione restat. Verum id prius sciendum, quod multotiens multa de aliquo secundum partem praedicantur. Natura animae est, quod sit rationalis. Dicimus etiam hominem rationalem esse. Dicimus etiam eum sentire. Corporis etiam ⟨est⟩, quod sit album, hominem tamen album dicimus. Hoc autem contingit in illis dicere quae simul uniuntur in personam unam. Nam quia caro et anima uniuntur in personam unam, ideo possum dicere: homo est rationalis, homo sentit, quod est animae. Possum etiam dicere: homo est albus, quod est proprie corporis. Possum etiam partem pro toto ponere, veluti: et videbit omnis caro salutare Dei (*Lc.* 3, 6). Carnem posuit pro homine, partem pro toto. Similiter est dictum[4]: Descendit Jacob in animabus ducentis in Aegyptum. Animabus posuit pro hominibus, partem pro toto. Eodem modo possum dicere: Deus est homo, homo est Deus, pro partibus, quia tanta unio facta est, quod illae duae naturae coniunctae sunt in personam unam. Ita tamen est intelligendum: Deus est homo, id est unitus homini in personam unam, homo est Deus, id est homo unitus est Deo in personam unam. Neque est propria locutio, cum dicitur: Deus est homo vel homo est Deus, pro parte enim dicimus ‚Deus' et pro parte ‚homo'. Neque tamen, quamvis dicamus Deum hominem esse, dicendum est Deum creatum esse vel Deum habere principium. Dicit enim Deus per Moysen: Israel, si me audieris, non adorabis Deum recentem (*Ps. 80, 9 sq.*). Deus autem recens esset, si haberet principium. Augustinus[5] dicit: ‚Deus et homo non sunt partes Christi.' Id autem ideo dicit, quia pariter dicit, quod homo est Deus et Deus est homo. Quod dici non posset, si essent partes. Nec tamen negandum est divinitatem et humanitatem esse Christi partes.

7 Natura] nol *F* 25 israhel *F*

[1] *De persona et duabus naturis* c. 3. (PL 64, 1343 C): Persona est naturae rationalis individua substantia.

[2] *Cf. supra* p. 5.

[3] *Cf.* Abael., *Theol.*, 1107 B sq., *Theol. christ.*, 1274 A sq., *Expos. symboli apost.*, 624 D—626 B, *Sic et non*, 1434 A, 1437 A, 1441 A, 1448 B; Herm., 1733 B—1734 A Rol., 172—174.

[4] *Male citatur, cf. Gen. 46, 26 sq.*

[5] *Contra Maximinum* l. II. c. 10. 2. (PL 42, 765): Porro autem Christus una persona est geminae substantiae, quia et Deus et homo est. Nec tamen Deus pars huius personae dici potest. — *Sermo* 293. (PL 38, 1332): Ipse Deus, Deus manet: accedit homo Deo, et fit una persona, ut sit non semideus, quasi parte Dei Deus et parte hominis homo, sed totus Deus et totus homo.

Dicit etiam beatus Augustinus[1], quod Christus est haec tria: ‚Ver-
f. 155 v bum, anima | et caro.' Christus in sepulchro dicitur pro corpore, Christus in inferno pro anima. Cum autem dicitur: Christus est in aeternum, id est: Verbum unitum carni est in aeternum. Sicut vere dicitur: Verbum caro factum est etc. (*Joh. 1, 14*), Verbum incarnatum est, id est carnem sibi sociavit, id est carnem sibi assumpsit in personam unam, ita dicendum videtur: Deus est homo, id est unitus homini in personam unam.

36. Hoc[2] autem quaeritur, si Christus est filius Dei per naturam sive per adoptionem sive per gratiam. Dicimus, quod est filius Dei⟨per⟩ naturam, id est Verbum humanum est filius per naturam de substantia Patris. Dico de homine assumpto. Non potest dici, quod sit filius Dei per naturam sive per generationem, quia non est de substantia Patris. De homine assumpto dico, id est de anima, de corpore. Neque potest dici, quod homo assumptus sit filius Dei per adoptionem. Nam tunc oporteret, quod prius esset homo, quam verbum illi uniretur in unitatem personae, et ita Deus adoptavit illum in filium. Nemo adoptatur in filium Dei nisi ille qui praecedentibus meritis suis fit filius Dei et adoptatur in filium Dei. Dici autem potest, quod sit filius Dei per gratiam. Non enim ex alio fuit unitus Deo in personam unam, nisi ex sola illa gratia Dei. Ita ergo homo assumptus filius Dei non per naturam, ut dictum est, quia non est ex substantia Patris, nec per adoptionem, quia prius non fuit, quam verbo uniretur in personam unam; sed dicitur filius Dei per gratiam. Unusquisque vero fidelis potest dici filius Dei tum per adoptionem, tum per gratiam; per adoptionem, quia primum praecedunt bona opera per quae adoptatur in filium Dei; per gratiam, quia non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis (*Rom. 8, 18*).

37. Restat dicere, si Christus peccare potuerit, si meritum, si fidem, si spem, si liberum arbitrium habuerit, si anima eius tantum quantum verbum scierit, si postquam unio facta est, si postea separatio facta est deitatis et humanitatis.

38. Videtur[3], cum nostram fragilitatem suscepit, quod peccare potuerit. Dicimus, quod Christus, qui utramque naturam notat, nullo

4 id est] et *F* vero *F* 11 id est . . . . naturam *in margine.* 13 per gratiam *F* 16 *et* 22 primitus *F* 18 fit] sit *F* 19 filium] filio *F* 20 aliquo *F* 25 procedunt *F* 26 filium] filio *F* 30 animam *F* scierit] senserit *F*

[1] *In Ev. Joannis* tract. 47. 9. (PL 35, 1737): Quia ergo totus homo in Christo, quid est Christus? Verbum, inquam, et homo. Quid est Verbum et homo? Verbum, anima et caro.

[2] *Cf.* Abael., *Expos. in ep. ad Rom.,* 795 A—D, *Sic et non,* 1441 B; Rol., 179 sq.

[3] *Cf.* Abael., *Expos. in ep. ad Rom.,* 823 B—824 C.

modo peccare potuit. Non enim unio Verbi peccatum pati posset in *f. 156 r*
Christo. Homo vero assumptus potuit peccare. Potuit enim non assumi; quod enim assumptus est, non ex merito aliquo, sed ex sola gratia est assumptus, et ideo peccare potuit. Postquam autem assumptus est, peccare nullomodo potuit propter Verbi unionem.

39. Meritum[1] dicitur habuisse, unde dicitur: Propter quod et Deus exaltavit illum etc. (*Phil. 2, 9*). Melior tamen esse non potuit, cum divinitas esset illi unita et cum in vita aeterna semper fuerit. Nam hoc est vita aeterna, ut Veritas dicit, ut cognoscant Patrem et quem misisti Jesum Christum (*Joh. 17. 3*), quod totum Christus cognoscebat. Unde semper fuit in vita aeterna. Beatior vero esse potuit. Nam cum passibilis et mortalis esset, tum beatior fuit, quando nulli passibilitati subiectus fuit, scilicet post resurrectionem.

40. Fidem[2] autem Christus non habuit. Nam cum fides sit substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium (*Hebr. 11. 1*), ipse autem omnia perspiceret et nihil eum lateret incognitum, liquidum est neque fidem neque spem habuisse. Fides enim de non apparentibus est, spes vero de bonis futuris. Iterum, cum dicat apostolus[3]: fides, spes evacuabitur in alia vita eo quod ibi erit vera cognitio, Christus vero illam cognitionem haberet, neutrum habuisse colliquescit.

41. Dicimus[4], quod Christus maxime liberum arbitrium habuerit. Nam cum liberum arbitrium sit discretio rationis vergentis se ad utramlibet partem[5], ipse praecipue habuit discretionem vergendi se ad potiorem partem. Ista sic est intelligenda discretio rationis vergentis se ad utramlibet partem, id est discretio qua discernimus bonum et malum ita, quod bonum assumimus et malum relinquimus. Nam aliter non esset liberum, nisi discerneremus bonum et malum bonum assumendo, malum dimittendo. Unde dicimus Christum liberum habuisse arbitrium, quia, cum utrumque cognosceret, semper tamen bono adhaesit.

42. Dicamus[6] etiam de angelis, quod liberum arbitrium | ⟨habeant⟩. *f. 156 v*
Nam cum discretionem habeant, tamen in bono semper persistunt. Diaboli vero non habent, quia, cum discernant bonum et malum, tamen

6 habuisse *in textu et in margine*

[1] *Cf.* Herm., 1755 A; Rol., 180—182, 188 sq.
[2] *Cf.* Rol., 185—187.
[3] *Cf. 1 Cor. 13, 8—12.*
[4] *Cf.* Abael., *Theol.*, 1110 A—1111 A, *Expos. in ep. ad Rom.*, 823 D, 867 B—D, *Logica ‚Ingredientibus'*, *Gloss. super Peri ermenias ed.* Geyer, 425; Rol., 183 sq.
[5] *Cf.* Boeth., *In librum de interpretatione editio secunda* (PL 64, 509 A): quae enim erit ulla discretio inter homines, si liberi arbitrii iudicium perit? *l. c.* (513 B): . . . liberum arbitrium, quod in iudicio et ratione consistit . . . . Ex hac autem quae est utrumlibet possibilitate etiam illa liberi arbitrii ratio venit.
[6] *Cf.* Rol., 94 sq.

eo, quod semper malo adhaerent, libero carent arbitrio. Quod autem amiserunt, hoc ex culpa eis contigit et ideo semper puniendi sunt. Si quis autem dividendo bonum et malum bonum dimittat, malum faciat, libero non utitur arbitrio, sed potius abutitur.

43. Anima[1] Christi non dicitur aequalis Verbo in scientia, cum sit creatura. Non enim debet dici, quod creatura aequiperetur creatori in aliquo. Ambrosius[2] dicit in epistola prima ad Corinthios supra illum locum ubi dicitur: Nemo scit quae sunt Dei nisi Spiritus Dei (*1. Cor. 2, 11*), Apostolum intelligens, Spiritum sanctum aequalem esse in scientia Deo. Unde apparet Spiritum sanctum non esse creaturam contra illos qui dicebant spiritum scientiae creaturam. Per hanc auctoritatem plane apparet Ambrosium velle, quod nulla creatura possit aequiperari Verbo in scientia. Dicit autem Ambrosius[3]: ‚Quidquid habet Filius per naturam, habet anima per gratiam.' Hoc est intelligendum: anima est unita Verbo per gratiam, quod Verbum scit omnia per naturam. Si autem dicamus: tantum scivit, quantum Verbum, quod quidam[4] dicunt, non tamen aequalis Verbo in scientia; nam hoc quod habuit, ex Verbo habuit. Oportet dicere eadem ratione, quod Filius et Spiritus sanctus non sunt aequales Patri in scientia; nam ex Patre sunt et ex Patre habent quidquid habent. Similiter: Nam si anima non est aequalis Verbo in scientia, quamvis sciat quidquid Verbum scit ideo, quia ex Verbo habet, quidquid habet, similiter et Filius et Spiritus sanctus non sunt aequales Patri, quamvis sciant quidquid Pater et possint quidquid Pater; nam hoc ex Patre habent.

44. Si[5] divinitatis et humanitatis facta sit separatio post unionem, restat. Beatus Augustinus[6] dicit nunquam post unionem separationem factam esse. Nunquam enim divinitas separata est ab anima postea. A corpore enim separata est non per essentiam, quia ubique est

16 sciat *correctum in F ab altera manu.*

[1] *Cf.* Abael., *Sic et non,* 1444 A; Herm., 1737 B sq.; Rol., 166—171.

[2] Ambrosiaster, Comm. epist. ad Cor. I. (PL 17, 195 C): Hic Spiritus Dei docuit nos, quod scit naturaliter, non doctus. *l. c.* (196 A): Sensum enim Dei nemo novit, nisi qui a Deo est, Spiritus Dei; inferiora enim non possunt superiorum scire consilium, neque creatura conditoris sui dignoscere voluntatem.

[3] *Non invenitur apud Ambrosium quem etiam nominant* Gualterus de Mauritania, *Epistola ad Hugonem Priorem S. Victoris,* PL 186, 1053 sq., Hugo de S. Victore, *De sapientia animae Christi,* PL 176, 854 D, Omnebene, p.187 ; Rolandus (p. 166 sq.) *attribuit locum* Augustino, *cuius videas De trinit.* l. I. c. 13, PL 42, 840 sqq.; *cf.* Gietl, *Die Sentenzen Rolands,* 167 *not.* 1.

[4] *Cf.* Hug. de S. Victore, *De sapientia animae Christi,* PL 176, 853 A.

[5] *Cf.* Abael., *Sic et non,* 1465 B; Herm., 1737 A sq.; Rol., 190—192.

[6] *In Evang. Joann. tract.* 47. n. 10. (PL 35, 1738): . . ad tempus exiguum anima deseruit carnem, sed redeunte anima resurrecturam. A verbo autem animam separatam esse non dico.

per essentiam, sed per unionem personae. Non enim in morte fuit unio personarum inter divinitatem et animam et carnem. Nam | dicit *f. 157 r* Augustinus[1]: ‚Divinitas iuncta est corpori mediante etiam anima.' Sed si anima separata est a corpore, quae vinculum erat Verbi et carnis, sine dubio Verbum a carne separatur non per essentiam, ut dictum est, sed per unionem personae. Dicit etiam Anastasius[2]: ‚Quicumque non crediderit carnem denuo assumptam, anathema sit.' Dicit etiam Ambrosius[3] super Lucam, ut dicitur: ‚Clamat divinitas separata a carne', super hunc locum dicit, quod divinitas separata est, id est vita a carne. Quamdiu enim ibi esset, mori non posset.

45. Quaeritur[4], cum Deus ubique sit, si ubique sit ita, quod sit ibi unitus humanitati in personam unam. Non, cum hoc exigeret, quod alicubi esset loco circumscriptus, quod fieri non posset. Nam Augustinus[5] dicit: ‚Quod alicubi est, corpus est. Deus autem corpus non est, ergo alicubi non est.' Cum ergo alicubi non sit, ergo nec alicubi est unitus in personam unam. Nam hoc exigeret, quod alicubi circumscriptibilis esset loco, quod fieri non potest.

De sacramento.

46. Tria[6] proposuimus[7] esse in quibus humana salus consistit: fidem, sacramentum, caritatem. De fide diximus[8] quae in duobus consistebat, scilicet in cognitione divinae ⟨naturae nec⟩ non in beneficiis collatis a

2 Nam] + ubi *F* 12 Nam *F* 16 exigeret] egeret *F* 19 Tria] Mira *F* 21 scilicet *Denifle* sed *F* 21 naturae nec *addidit Denifle.*

[1] *Epist.* 140 (*al.* 120) c. 4. n. 12 (CSEL 44, 163; PL 33, 542): Verbum autem particeps carnis effectum est rationali anima mediante.

[2] Vigilius Tapsensis, *De Trinitate* l. VI. (PL 62, 280 A): Maledictus homo, qui tunc totum hominem, id est animam et corpus, quod assumpsit, denuo assumptum vel liberatum post tertia die a mortuis resurrexisse non confiteatur. — *Cf.* Gietl, *Die Sentenzen Rolands*, p. 190, *not.* 8. — *Cf. supra* p. 10[3].

[3] *Expos. in Evang. sec. Lucam* l. X. n. 127 (PL 15, 1836 A): . . . vel evidens manifestatio contestantis Dei secessionem divinitatis et corporis. Sic enim habes: Clamavit Jesus voce magna dicens: Deus, Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti (*Mt 27, 46*)? Clamavit homo divinitatis separatione moriturus. Nam cum divinitas mortis libera sit, utique mors esse non poterat, nisi vita discederet; quia vita divinitas est.

[4] *Cf.* Herm., 1737 B—1738 D; *supra nr.* 22.

[5] *Cf. supra p.* 10.

[6] *Cf.* Herm., 1747 C; Rol., 194, 313.

[7] *Cf. supra p.* 1.; *hic ordo partium mutatus est, de qua re videas Denifle, Archiv* I, *Abaelards Sentenzen etc.*, 601 sq.

[8] *Cf. supra p.* 3.

Deo. Restat modo dicere de sacramento, scilicet[1] de baptismate, de confirmatione, de unctione infirmorum, de coniugio, de sacramento altaris, de operibus, de circumcisione.

47. *De circumcisione.* Et[2] dicitur circumcisio eandem vim habuisse in veteri testamento quam modo habet baptisma. Et ideo prius dicimus de circumcisione, et quare prius sancta sit circumcisio, quare postea dimissa et successit baptisma. Antequam divisi essent fideles ab infidelibus, voluit Deus aliquod seminarium ponere inter fideles et infideles. Postquam vero divisit fideles ab infidelibus, scilicet postquam voluit novam condere civitatem, praecepit Abrahae, ut exiret de terra sua. Cui etiam praecepit circumcisionem, ideo scilicet, ut mu-
f. 157 v lieres infideles dedignarentur sociari circumcisis quasi truncatis, | ipsi etiam fideles dedignarentur membrum polluere in mulieribus infidelibus et ideo non fieret coniugium inter fideles et infideles, ne forte viri fideles sociati illis fierent idololatrae sicut Salomon. Vetavit etiam Deus quaedam cibaria, scilicet carnes porcinas, quae sunt condimentum fere omnium ciborum, et plura alia, ut fieret divisio mensae inter se. Et haec duo, scilicet coniugium et mensa, maxime alliciunt homines. Unde Deus fecit quasi maceriam inter illos, ne forte pro coniugiis et mensis idololatrae fierent. Hoc ideo fecit Deus, quod, quando ipse veniret, destrueretur maceries interposita et fieret concordia inter infideles et fideles et remotis caerimoniis legis in unam concordiam omnes confluerent ad fidem Christi Jesu. Ideo etiam Deus circumcisionem praecepisse dicitur in illo membro, ut demonstret veterem hominem debere praecidi et unumquemque hominem in novum hominem debere nasci, nam id est illud membrum quo fit humani generis propagatio. Cum Deus etiam dedisset homini, scilicet mulieri, poenam pro peccato primo, in dolore videlicet parere, viro autem vesci pane in sudore, cum daret eis terram Palaestinam, quae erat opulenta, et laborem viri et non mulieris minueret, laborem viri accrescere voluit.

48. Ostenso[3] quare data fuerit circumcisio, ostendendum videtur, cur solis maribus esset praecepta, quam remissionem conferebat, postremo quare species pro specie mutata sit. Circumcisio, quae solis maribus

1 scilicet *Denifle* sed *F* 14 infideles] infidelibus *F* 15 salemon *F* idolatrae *F* 19 idolatrae *F* 25 idem *F* 29 ex labore *F*

[1] *Cf.* Geyer, *Die Siebenzahl der Sakramente etc.*, 336. — *Nota sacramenta sequentia, quae ab Hermanno solummodo hac compositione tractantur, hic primo simul enumerari.*

[2] *Cf.* Abael., *sermo* III., *In Circumcis. Domini*, PL 178, 398 B—D, 402 A—403 A, *Expos. in ep. ad Rom.*, 843 B—844 A, 844 C sq., *Dialog. inter Philosophum, Judaeum et Christianum*, PL 178, 1623 B—D, 1624 D sq.; Herm., 1738 D; Rol., 141—143, 195.

[3] *Cf.* Abael., *Expos. in ep. ad Rom.*, 844 D; Rol., 195.

conveniret, eo praecepta est, quod ex homine nemo erat nasciturus qui non esset corruptus, ex muliere vero talis esset qui foret incorruptus. Rursus eo quod, ⟨ut⟩ supra meminimus, viri accrescere laborem voluit.

49. Quam[1] remissionem conferebat, sequitur. Non enim idem fecisse videtur circumcisio quod modo facit baptismus. Nam baptizatis statim, si post baptismum moriantur, porta patet paradisi, quod circumcisis non faciebat circumcisio. Dicimus, quod eandem vim habuit. Nam quod statim in|trant, hoc facit passio Christi cum baptismo, quod circum- *f. 158 r*
cisio ⟨faceret⟩, si hostia missa fuisset. Id vero in nummo potest ostendi qui cum alio iunctus valet ad emendum aliquid ad quod non valet per se. Non tamen plus valet tunc quam prius.

50. Quare[2] species pro specie mutata sit, id restat investigandum, et quare loco circumcisionis baptisma successit. Imperfectio, decor, tempus gratiae. Propter enim imperfectionem mutata est species huius sacramenti. Nam circumcisio solis maribus conveniebat; baptismus vero tam maribus quam mulieribus convenit. Circumcisio autem praecepta fuit Abrahae et semini eius, ut quicumque ex eius semine esset, transgressor foret, nisi circumcisus esset. Unde dicimus Ismaelem filium suum de eius semine qui non fuit circumcisus, quia non fuit de libera, ex quo etiam fuerunt Saraceni qui non fuerunt circumcisi et tamen potuerunt salvari in fide. Nam circumcisio soli Abrahae et semini eius praecepta est. Semen illius dicitur filius liberae, id est Isaac. Per hoc autem, quod Abraham circumcidit famulos suos, designatur, quod extraneis licebat circumcidi. Alii tamen qui non circumcidebantur poterant salvari in fide sicut Job qui fuit post Abraham. Unde et Saraceni dicunt unumquemque posse salvari in fide sua. Propter decorem vero immutata est species. Aqua enim ille est liquor qui melius mundat. Non enim balsamum ita mundat sicut aqua neque vinum neque mel neque oleum neque alius liquor. Propter id quoque statutum est in hoc liquore, ne aliquis posset conqueri de hoc, quod non posset habere eo, quod carum esset. Propter tempus gratiae etiam mutata est species, ut, ⟨cum⟩ in tempore gratiae omnia faciliora, libentius omnes ad fidem Christi confluant, et ideo etiam, ut destrueretur illa maceria interposita inter utrumque populum, et ne Judaei possent gloriari de caerimoniis suis

5 baptizatis *F* 6 paradysi *F* 12 gandum et *in margine* 18 ismahelem *F* 20 sarraceni *F* qui non fuerunt *bis in F* 22 ysaaac *F* 26 *sarraceni F* 27 enim ille est *superscriptum* 33 confluunt *F* 34 Judaei] uideri *F*

[1] *Cf.* Abael., *Sermo* III., *In Circumcis. Domini*, 404 D, *Expos. in ep. ad Rom.*, 843 D—844 B, *Sic et non*, 1504 A; Herm., 1738 D.

[2] *Cf.* Abael., *Sermo* III., *In Circumcis. Domini*, 399D—401 B, 403 A—404 D, *Expos. in ep. ad Rom.*, 843 A, 845 A—847 A, *Dialog. inter Philosophum, Judaeum et Christianum*, 1625 B—1626 A. Herm., 1738 D—1739 B ; Rol., 196 sq., 207 sq.

quas gentiles susciperent. Propter quod etiam posset esse discordia inter
f. 158 v illos. Ad quam discordiam delendam facta est epistola ad Romanos.

51. ***De baptismate.*** Quando[1] Dominus instituit hoc sacramentum? Dicens Nicodemo: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum caelorum (*Joh. 3, 5*). Nullum videtur excepisse. Sed Augustinus[2] super hunc locum dicit, ubi dicit Dominus: Quicumque ponet animam suam pro me, non perdet eam (*Mt. 16, 25*): ‚Dicimus enim excepisse illos, qui martyrium pro eo suscipient.' Dicit etiam beatus Augustinus[3], quod si aliqui provecti voluerint accedere ad baptismum et properent quocumque modo possint et praeoccupati sint, salvantur, velut latro, qui fuit in cruce cum Domino, non tamen baptizatus fuit, salvus esse perhibetur.

52. De[4] pueris autem quaeritur, utrum, si nullomodo aqua inveniri possit et praeoccupentur, si damnentur. Dicimus autem, quod damnentur. In quo videtur Deus iniustus, cum puniat pueros non baptizatos, cum ipsi sine peccato sint. Ut enim dicit beatus Augustinus[5]: ‚Quamdiu anima infantuli aetate est, sine peccato est.' Cum ergo sint sine peccato neque remaneat in illis, quin baptizentur, et parentes eorum ad hoc nitantur, quantum possunt, quod baptizentur, et parentes honesti sint, cum homines etiam, qui non multum rationabiles sunt et qui etiam crudeles sunt, non iudicarent puerum pro scelere parentum neque pro suo commisso, etiam si puer totam combussisset civitatem et multos

4 nichodemo *F* 8 excepisse] cepisse *F* 11 sint] st *F*

[1] *Cf.* Abael., *Sic et non*, 1495 B; Rol., 198 sq., 208 sq.

[2] *De civ. Dei* l. XIII. c. 7. (CSEL 40, 622 sq.; PL 41, 381): Nam quicumque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluentur sacro fonte baptismatis. Qui enim dixit: Nisi quis non renatus fuerit ex aqua et spiritu, non intrabit in regnum caelorum (*Jo 3, 5*): alia sententia istos fecit exceptos, ubi non minus generaliter ait: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in caelis est (*Mt 10, 32*); et alio loco: Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam (Mt 16, 25).

[3] *De baptismo contra Donatistas* l. IV. c. 22. n. 29. (CSEL 51, 257; PL 43, 173): Baptismi sane vicem aliquando implere passionem de latrone illo cui non baptizato dictum est: hodie mecum eris in Paradiso (Lc 23, 43), non leve argumentum idem beatus Cyprianus adsumit. Quod etiam atque etiam considerans invenio non tantum passionem pro nomine Christi id quod ex baptismo deerat posse supplere, sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum ministerium baptismi in angustiis temporum succurri non potest.

[4] *Cf.* Abael., *Sic et non*, 1495 B, 1502 B, 1609 A, *Expos. in ep. ad Rom.*, 868 D —872 A, *Ethica*, 641 D; Rol., 143, 201, 207—210.

[5] Abaelardus *in Expos. in ep. ad Rom.*, (868 A) *locum affert* Hieronymi *Super Ezechielem*: Quamdiu anima in infantia constituta est, peccato caret. *Cf. etiam Sic et non*, 1502 C. *Qui locus fortasse respicit ad* Hier. *Sup. Ez.* l. 7. c. 22. (PL 25, 212): Quod de Jerusalem intelleximus intelligamus de animarum statu quae purae a Deo conditae sunt. *Cf.* Gietl, *Die Sentenzen Rolands*, 131, not. 13.

homines in eo debere mori, cum homines, inquam, parum rationabiles ita facerent de puero, videtur Deus non solum iniustus, sed neque misericors, qui punit puerum, quod sine peccato est, in cuius culpa non est, quod non baptizetur, nec in culpa parentum. Ad quod dicimus, quod, quantum nobis videtur, Deus misericors est et erga illum poena, quem punit, mitissima. ‚Nam illa poena est mitissima', ut dicit beatus Augustinus[1], et est misericors erga parentes suos et erga etiam alienos. Nam Deus illos, quos tali poena punit, scilicet mitissima, providet futuros flagitiosos, unde deberentur maximis poenis. Unde misericors est circa illos, | *f. 159 r* ne tantis puniantur poenis. Est etiam misericors erga parentes, qui, ne pro filio flagitioso multa incurrant peccata, eorum praeoccupat filios ante baptismum, ne forte confidant de se parentes et peiores efficiantur. Propter id quoque facit id Deus, quia, quando vident parentes filium suum mori ante baptismum poenisque deputant aeternis, in tantam quandoque incidunt amaritudinem, quod resipiscunt et ad Deum convertuntur propter casum filii et salvantur. Unde Deus non solum erga puerum, sed etiam erga patrem, matrem mitis esse comprobatur. Misericors est etiam erga alienos. Mali videntes casum illorum idem de se timentes convertuntur ad Deum. Sed eadem ratione videtur idem debere facere de omnibus illis qui maioribus poenis deputantur, velut de Juda et de ceteris. Sed non est ita. Nam Deus utitur malis bene et propter illos alii corriguntur et merentur aliquid apud Deum et ex meritis suis salvantur. Haec autem verba: nisi quis renatus fuerit etc. sic sunt intelligenda: Quicumque contempserit baptizari, et hoc dicitur propter adultos, et qui baptizatus non fuerit, hoc vero propter pueros, qui non habent contemptum[2], non intrabit in regnum caelorum. Eadem dicimus de illis, qui moriebantur incircumcisi ante octavam diem. Inde orta est quaestio, quare videlicet puniebantur.

53. Quaeritur[3], quare peccatum primi hominis tam graviter puniatur. Quod, ut dicit beatus Hieronymus[4] in epistola ad virginem Deo dicatam, fuit levissimum et parvum: ‚Cave[5] tu, virgo monialis, quae tot

17 erga puerum] ergo puerum *F* matrem mitis *superscriptum* 30 Jeronimus *F* 31 levissimum] + fuit *F* parvum] + tam graviter punierit *F*

[1] *Enchiridion* c. 93. n. 23. (PL 40, 275): Mitissima sane omnium poena erit eorum qui praeter peccatum, quod originale traxerunt, nullum insuper addiderunt.

[2] *Cf. infra nr.* 54.

[3] *Cf.* Abael., *Theol.*, 991C, *Expos. in ep. ad Rom.*, 863C, 870B—871A, *Ethica*, 662B.

[4] Pseudo-Hieronymus, Epist. XIII., *Virginitatis laus* (PL 30, 167 A): An grande illum (*scil. Adam*) commisisse crimen putas?

[5] *Cf.* Pseudo-Hieron., l. c. 167 C: Immo illi (*scil. Adae*) magis parcendum fuerat qui novellus erat adhuc et rudis, et nullius ante peccantis et propter peccatum suum morientis retrahebatur. Tibi vero post tanta documenta, post legem, post prophetas, post evangelia, post apostolos, si delinquere volueris, quomodo indulgeri possis, ignoro. *Cf.* S. M. Deutsch, *Peter Abälard, ein kritischer Theologe des XII. Jhh.s, Leipzig* 1883, 326 not. 2.

habes exempla, ne gravius peccando Deum tibi iratum facias.' Cum ergo id quaeratur, dicimus eo quod illius exemplo alios corrigere volebat.

54. Rursus[1] est controversia, cum in baptismo omne peccatum dimittatur tam actuale quam originale, quare post baptismum restet
f. 159 v poena originalis peccati, | scilicet mors. Ad quod dicitur, quod, si homines viderent nullum mori post baptismum, cum ista plurimum appetant et vivere praecipue desiderent, omnes ad baptismum non amore baptismi, sed vitae confluerent neque de alia curarent vita et sic promereri desinerent. Peccatum originale nihil aliud est, nisi poena transfuga in posteros a primo parente. Cum enim dicit Apostolus[2]: ‚Omnes peccavimus in Adam', nihil est aliud, nisi quod poenam incurrimus ex peccato illius, velut dicitur: Levi decimatus est in lumbis Abraham (*Hebr. 7, 9 sq.*), antequam esset, id est seminarium Levi fuit Abrahae, antequam Levi foret. Peccatum autem duobus modis dicitur: tam poena quam culpa, id est contemptus. Non enim dicitur peccatum ⟨facere⟩, qui non contemnit. Quando autem dicitur: remittitur peccatum, id est: poena gehennalis. Quod dicitur: Filius non portabit iniquitatem patris (*Ezech. 18, 20*), quod dictum est in Ezechiel, id intelligendum de tempore gratiae. Nam hoc dicere Deus voluit: postquam venerit tempus gratiae, non damnabitur aliquis pro peccato primi parentis, sed statim intrabit in regnum caelorum, et si statim moriatur. Ambrosius[3] videtur plane dicere, quod non sit remissio peccatorum omnium in baptismo, sed actualium solummodo. Nam originalis peccati remissionem dicit fieri in ablutione pedum et vult habere testimonium ab evangelio, ubi Dominus dicit Petro in evangelio: Si non lavero tibi pedes, non habebis partem mecum (*Joh. 13, 8*). Ex his verbis vult habere, quod in baptismo remissio solummodo actualium sit, in ablutione vero pedum originalis sit remissio. Non enim aliter dixisset Dominus Petro. Sed si volumus his verbis Ambrosii consentire, oportet plane dicere, quod baptismus nihil proficit parvulis. Nihil remittitur in baptismo; nam originale non remittitur, quod remittitur in ablutione

14 Abrahae *F* in Abraham *Denifle*.

[1] *Cf.* Abael., *Theol.*, 984 B; *Ethica*, 636 A, 641 D, 654 A sq., *Expos. in ep. ad Rom.*, 844 A sq., 863 C, 866 A—D, 871 A sq., 872 B, D, 873 C sq., 900 B sq., *Sic et non*, 1501 A; Herm., 1753 C sq., 1754 C; Rol., 125, 131—134, 200—202; *Capit. Guill.* 11 et 12, PL 182, 532 C sq.; *Capit. haeres.* VIII, PL 182, 1052 A; *Errores* 9, *Denz.* 376. *Cf. infra* p. 28.

[2] *Cf. Rom. 5, 12.*

[3] Ambrosius, *De mysteriis* c. 6. (PL 16, 398 C): Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus(*Joh. 13, 10*). Mundus erat Petrus, sed plantam lavare debebat; habebat enim primi hominis de successione peccatum: quando eum supplantavit serpens et persuasit errorem. Ideo planta eius abluitur, ut haereditaria peccata tollantur; nostra enim propria per baptismum relaxantur.

pedum, actuale vero nullum habent. Unde secundum Am|brosium *f. 160 r* nihil proficit baptismus, quia modo, id est nunc, illis in baptismo ⟨non⟩ remittuntur. Id tamen ita solvere possumus: post baptismum, si aliquis peccet, assumpta paenitentia pro peccatis salvabitur, quod non fieret, nisi baptismus praecessisset. Dicemus vero Ambrosium potius intellexisse ablutionem pedum esse signum remissionis. Originale peccatum per plantam enim intelligitur, originale, quod etiam haereditarium appellatur, quia ⟨a⟩ parentibus quasi haereditatem possidemus, per plantam ideo, quia supplantati sumus a paradiso per peccatum Adae. Baptismum autem voluit esse signum remissionis peccatorum actualium, cum tamen utraque peccata, tam actualia quam originalia, ibi dimittantur. Verba autem Domini quae dicuntur in evangelio Petro: Si non lavero tibi pedes etc., sic sunt intelligenda: nisi habueris rem, quae signatur hoc sacramento, scilicet remissionem originalis peccati, non habebis partem mecum. Hanc autem ablutionem pedum debet episcopus habere in caena duobus vel tribus diebus, postquam baptizati fuerint in designatione illius cuius signum est. Quod etiam fit in ecclesia beati Ambrosii[1].

55. Quaeritur[2] autem, cum sufficiunt illa verba Domini ad baptizandum, scilicet in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, quare inunguatur et oleum adponatur, quare induatur alba. Omnia ad decorem sacramenti pertinent, non ad efficaciam. Oleum autem designat esse christianum propter unctionem Christi. Oleum autem non debet adponi a sacerdote nisi in pectore, sicut praecipitur in canonibus[3]. Episcopus[4] vero debet ponere oleum et chrisma in fronte, non sacerdos. Alba quae est candida designat innocentiam vel Jesum Christum qui est sine macula.

56. De[5] verbis illis quae dicuntur in baptismo a patrinis, scilicet: credo, volo, abrenuntio, quaeritur, quibus conveniant, patrinis puerisve qui baptizantur. Patrinis non possumus dicere | convenire, qui baptizari *f. 160 v* nolunt, et ideo non competit illud dicere: volo baptizari. Si autem dicamus, quod ipsi accipiunt personam puerorum, tunc oportet, quod haec conveniant illis, quorum personas assumunt, scilicet pueris. Veluti cum dicit puer in ecclesia: Ego sum Deus Abraham, Deus Jacob,

1 habent] habeat *F* 1 Ambrosi *F* 2 quia] qui *F* 5 baptismum *F* 8 appellatur] appellat *F* 9 paradyso *F* 10 autem *in margine* 12 dimittatur *F* 14 sacramentum *F* scilicet] sed *F* 25 crisma *F* 31 nolunt *Gietl* volunt *F*

[1] *Cf.* Abael., *Sic et non*, 1501 D sq.
[2] *Cf.* Herm., 1739 C sq.
[3] Ivo, *Panorm.* l. I. c. 50. (PL 161, 1056 C sq.): Quare inungitur a sacerdote in pectore et inter scapulas.
[4] *Cf.* Herm., 1740 B; Rol., 213 sq.
[5] *Cf.* Abael., *Expos. in ep. ad Rom.*, 872 C; Herm., 1739 D; Rol., 211 sq.

Deus Isaac (*Exod. 3, 6*), puer induit personam Dei et illa verba quae dicit, competunt ei cuius personam assumit. Sed non est ita in patrinis; nam verba, quae dicuntur, non competunt illis, quorum personas assumunt, scilicet pueris. Nam neque pueri volunt baptizari neque in Deum credunt. Dicimus tamen haec verba patrinis competere in quorum fide baptizantur. Nam cum dicunt: volo baptizari, id est: volo, ut iste baptizetur, similiter: credo, id est: volo, ut iste credat, abrenuntio, id est: volo, ut abrenuntiet. Nec mirum, si pueri salvantur in fide patrinorum, scilicet pro fide aliena, cum et si non baptizentur, pro peccatis alienis damnentur, scilicet pro originalibus, quamvis sine peccato sint. Possumus etiam dicere, quod patrini assumunt personam pueri; id quod puer diceret, si loqui posset, dicunt. Quaeritur, cum fideles patrini desint, ne pueri baptizentur. Dicitur, quod in fide ecclesiae baptizantur.

57. ⟨Si⟩ [1] tamen adulti ficti accedant et statim moriantur, num proficiat, quaeritur. Quod dicimus nihil. Si illis, qui ficte accedunt, post multos placeat annos, quaeritur, ne baptizati sint. Sane, quia quando placet, tunc habet baptismus efficaciam suam neque sunt tunc baptizandi.

58. Quaeritur[2] etiam, si pueri infideles ludendo dicant: Ego baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, cum neuter illorum velit baptismum, ne sit baptizatus. Non. Si vero placet, baptizandus est; non enim fuerat baptizatus.

59. Cum[3] dicitur: in nomine Patris, nomen ponitur pro cognitione, quam de Deo habemus, scilicet pro fide, quam de ipso habemus. Fides
f. 161 r est enim illa cognitio quam possumus habere de Deo | in hac vita. Cum ergo dicitur: Ego baptizo te in nomine Patris etc., id est in fide illa quam habet ecclesia de trinitate.

60. ***De exorcismo.*** Quaeritur de exorcismo, qui fit ante baptismum, quid operetur. Exorcismus est coniuratio, exorcista, id est coniurator. Hanc consuetudinem habet ecclesia a Salomone[4], cui Deus dederat cognitionem quorundam nominum quorum coniuratione daemones a corporibus eiciebat et in aliquibus vasis includebat. Post ruinam data sunt eis aeria corpora in quibus possunt cruciari. Dicit enim beatus Augustinus[5], quia post resurrectionem et igni et gelu poterunt cruciari solida corpora hominum et aeria corpora daemonum.

6 volo *Gietl* nolo *F* 8 volo *Gietl*] nolo *F* 12 Quaeritur] Qr *F* desint] sint *F* 14 num proficiat *Gietl* non proficit *F* 15 qui *Gietl* quod *F* 16 quaeritur *Gietl* qr *F*

[1] *Cf.* Abael., *Sic et non*, 1509 A; Herm., 1739 C; Rol., 200 sq.
[2] *Cf.* Rol., 205 sq.
[3] *Cf.* Herm., 1740 A sq.; Rol., 203—205.
[4] *Cf. Sentent. divinitatis* V. *De sacramentis, ed.* Geyer, *Monasterii* 1909, 125*
[5] *De civit. Dei* l. XXI. c. 10. (CSEL 40, 538; PL 41, 725): . . . corporeus ignis erit et cruciabit corpora damnatorum, aut et hominum et daemonum, solida hominum, aeria daemonum.

61. Cum autem hanc consuetudinem teneat sumptam ecclesia a Salomone, quaeritur, quid operetur exorcismus ille ante baptismum, cum dicitur: Exi immunde spiritus ab eo etc., an faciat membrum Christi, an membrum diaboli. Nam alterum oportet facere, aut membrum Christi, aut membrum diaboli. Si autem faciat membrum Christi, videtur, quod nihil operetur baptismus. Ad hoc dicimus non oportere, quod sit membrum Christi vel diaboli ante baptismum. Neutrum enim est, ut dicit beatus Augustinus[1], ante baptismum puer, neque membrum Christi neque diaboli. Nunquam enim aliquis membrum fiet diaboli, nisi ipse sequendo illum ei oboediat. Nihil ergo aliud facit exorcismus nisi praeparat puerum ad suscipiendum sacramentum baptismatis.

62. ***De sacramento altaris.*** Ad[2] sacramentum altaris ordine transeundum est, et quare in istis figuris sacramentum celebretur et cuius illud sacramentum signum sit, quod super illud altare celebratur, ostendendum. Sciendum est, quod Melchisedech primus ante vetus testamentum celebravit hoc sacramentum. Melchisedech iste gessit typum Jesu Christi, nam fuit rex et sa|cerdos (*Hebr. 7, 1*). Dicitur etiam *f. 161 v*
sine patre esse et sine matre (*Hebr. 7, 3*), non quod non haberet, sed quia in historia non est scripta eius genealogia. Similiter Christus sine patre, sine matre dicitur fuisse, non quod non habuerit, sed utraque genealogia ineffabilis est. Nam genitura Patris ineffabilis est, similiter et matris, nam illa contra naturam fuit et ideo ineffabilis. Similiter istam[3] dixit David ⟨de⟩ Christo: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech (*Ps. 109, 4*).

63. Sacramentum[4] istud celebravit Dominus Jesus Christus quod fuit ante, ut qui excitavit tam sacrificium, quod fuit ante vetus testamentum, quam naturalem legem in qua multi sunt salvati sicut Job et alii quam plures. Quae talis est: ne facias alii quod tibi non vis fieri.

64. In[5] istis figuris voluit Dominus istud sacramentum celebrari. Nam panis est ille cibus qui in omnes cibos convertitur, qui necessarius est ad omnes alios cibos, sine quo alii cibi parum iuvant. Iste autem sine omnibus aliis cibis potest proficere. Unde dicitur: Panis cor hominis confirmat (*Ps. 103, 15*). Ipse est enim ille cibus qui in omnes cibos convertitur et sine quo alii cibi nil valent, scilicet panis angelorum, nam per administrationem angelorum ille panis creatus est. In hoc sacrificio ideo vinum apponitur, quia vinum est ille liquor, qui magis proficit. Unde et dicitur: Vinum laetificat cor hominis (*Ps. 103, 15*).

19 hystoria *F* Christus] + fuit *F*

[1] *Hunc locum Augustini non inveni.*
[2] *Cf.* Rol., 214.
[3] *scil.* genituram.
[4] *Cf.* Herm., 1740 D; Rol., 214.
[5] *Cf.* Herm., 1741 D sq.; Rol., 228.

65. Sciendum[1], quod in primitiva ecclesia aqua non fuit apposita, postea vero apposita fuit. Ideo in primitiva ecclesia aqua non fuit apposita, quia nondum conversi erant gentiles qui per aquam sunt designati, quae fluida et fluxa, ut gentiles fluidi et fluxi. Postea vero, quando conversi sunt, institutum est a pontificibus Romanis prae nimio gaudio de conversione gentium. Quod fuit, quod aqua apponeretur. Per vinum prius designabantur Judaei praedicatione Christi conversi. Quod
f. 162 r autem quidam aiunt ideo apponi, quod quando vul|neratus est in cruce, exivit inde sanguis et aqua, non est verum. Nam si verum esset, in primitiva ecclesia aqua foret apposita.

66. Quaeritur[2], cuius sit signum illud corpus quod est in altari. Dicimus, quod alterius corporis quod est ecclesia. Duobus enim modis corpus Christi, quod est ecclesia, et corpus, quod fuit in utero virginis, dicitur. Christus etiam dicitur caput corporis. Nam sicut in capite fere omnes sensus sunt, pauci vero in corpore cetero, ut tactus solus, similiter in capite nostro Christo omnia dona sunt Spiritus sancti collata, pauca vero in corpore quod est ecclesia. Sanguis vero est signum spiritualium donorum a Spiritu sancto collatorum. Nam sicut sanguis est vita corporis, ita dona spiritualia sunt vita animae. Hoc vero corpus, quod est in altari, est verum corpus Christi, quod fuit in utero virginis et quod fuit in cruce; cuius corpus est ecclesia, cuius ecclesiae multa sunt membra. Quidam enim in ecclesia sunt oculi, ut praedicatores, quidam manus, ut illi de quorum labore alii vivunt.

67. Videtur[3] autem aperte esse falsum quod Veritas dicit: Nisi comederitis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis (*Joh. 6, 53*). Nam multos videmus salvos, qui non comederunt carnem filii hominis, sicut parvulos et etiam multos adultos. Et alibi: Qui comedit corpus meum, in me manet et ego in eo (*Joh. 6, 57*). Apostolus videtur contra qui dicit: Qui comedit carnem Domini indigne, iudicium sibi manducat et bibit. Unde multi debiles et infirmi, dormiunt multi apud vos (*1. Cor. 11, 29 sq.*). Hoc autem quod Veritas dicit: Nisi comederitis etc. non est intelligendum de suo proprio corpore, sed de ecclesia, sicut dicit beatus Augustinus[4]: ‚Nisi comederitis etc., id est nisi feceritis, quod vos sitis

34 comedit] comedunt *F*

[1] *Cf.* Herm., 1742 A sq.; Rol., 231.
[2] *Cf.* Herm., 1741 A—C; Rol., 215 sq.
[3] *Cf.* Herm., 1741 C; Rol., 216.
[4] *In Ev. Joannis.* tract. 26. c. 6. n. 15 *et* 18 (PL 34, 1614): Hunc itaque cibum et potum societatem vult intelligi corporis et membrorum suorum quod est sancta ecclesia in praedestinatis et vocatis et iustificatis et glorificatis sanctis et fidelibus eius . . . Hoc est ergo manducare illam escam et illum bibere potum, in Christo manere et illum manentem in se habere.

membrum Christi, id est nisi transfundatis Christum in vobis efficiendo vos membrum ipsius, non habebitis vitam in vobis.' Id vero quod dicit Apostolus: Qui comedit indigne, iudicium sibi comedit et bibit | dictum *f. 162 v* est de vero corpore.

68. Quare[1] etiam, quaeritur, corpus Christi sub illis figuris appareat. Ideo scilicet, ne visus hominis abhorreat assumere corpus Christi et sanguinem, quia omnia fecit ad nostram utilitatem.

69. Rursum[2] est controversia, an illa forma sit in corpore Christi. Dicimus quod non. Nam illa forma est rotunda, quod non est in corpore Christi. Videtur corpus illud dividi in tres partes. Non autem dividitur, sed totum integrum permanet. Quod autem dicit evangelium: Accipiens Jesus panem fregit etc. (*Lk. 22, 19*) sic est intelligendum: fregit, id est aperuit sacramenta quae prius erant ignota. Quod autem videtur sacerdos frangere, id fit in designatione illius fractionis, quam fecit Dominus, quando panem fregit et dedit discipulis suis dicens: Accipite, hoc est corpus meum (*Mt. 26, 26*).

70. Quaeritur[3], an forma illa sit in aliquo subiecto. Dicimus quod non. Quaeritur ubi sit. Potest esse in aere. Quaeritur, qui accipit illud, quod videtur sub figura panis, si accipit totum corpus Christi. Ita, similiter et vini. Cum ergo accipiat sub figura ⟨panis⟩ totum corpus, quare accipit illud quod apparet sub figura vini. Ideo scilicet: nam per illud quod figuratur sub pane, significatur vita corporis, per illud quod latet sub vino, figuratur vita animae.

71. Quaeritur[4], si substantia panis transeat in corpus Christi. Dicimus ita. Quaeritur, si propter id, quod panis transit in corpus Christi, sit aliud, quam prius fuerit. Non propter hoc est aliud nec fit aliud, velut si manus alicuius transiret in pedem alterius et efficeretur pes eius, non propter hoc aliud esset pes eius, quam prius fuerat. Cum autem sub figura panis appareat, verum corpus Christi est, non phantasma neque deceptio, nam hoc non fit propter deceptionem, sed propter nostram salutem. Aliter enim, ut dictum est[5], abhorreret humanus visus. Frangi etiam videtur nec frangitur quod saporem habet panis. Hoc | fit propter *f. 163 r* nostram salutem. Immutat enim Deus saporem sui corporis, ut melius possit percipi.

18 Quaeritur] Qr *F* potest *F* patet *Denifle* Quaeritur] quare *F*

[1] *Cf.* Herm., 1743 B; Rol., 229.
[2] *Cf.* Herm., 1742 B—1743 D; Rol., 226, 233 sq.
[3] *Cf.* Herm., 1741 B, 1743 D; Rol., 222, 227 sq.; *Capit. Guill.* 9, PL 182, 532 B; *Capit. haeres.* IX, PL 182, 1052 C.
[4] *Cf.* Herm., 1742 B; Rol., 223—229, 233 sq.
[5] *Cf. supra* n. 68.

72. Videtur[1] autem, quod sit mucidus, quod corrodatur a muribus. Sed non est id verum, sed propter ignaviam sacerdotum subtrahit se Deus illis et supponit aliam speciem, ut melius sibi caveant.

73. Dicendum[2] est de auctoritatibus illis eo quod quidam videntur dicere plane, quod hoc sit verum corpus, quidam, quod non sit sacramentum, non res sacramenti. Sunt ergo illae dicendae et exponendae auctoritates, ne in illis erremus. Augustinus[3] super illum locum, ubi dicit Christus: Nisi comederitis etc.: ‚non est, inquit, intelligendum de suo vero corpore, quod fuit in cruce, quod fuit lancea perforatum, nec de illo sanguine, qui effusus est.' Ecce videtur plane dicere, quod non sit corpus, sed figura. Id tamen non dicit. Sed cum Dominus Jesus dixit: Nisi comederitis etc., multi abierunt retro existimantes oportere dilacerari corpus per membra sicut in macello, sicut caput vel pedes vel manus. Contra hoc dicit Augustinus[4], quod non est illud corpus, quod fuit in cruce etc., referens ad praesens, ne existimaretur illud corpus dilacerari per membra sicut in macello, immo totus integer sumeretur sub illis figuris. Hieronymus[5] vero dicit supra Leviticum similiter: ‚Littera est occidens in novo testamento sicut in veteri. Nam illa littera est occidens quae dicit: Nisi comederitis etc. Non enim est illud corpus, quod fuit in cruce perforatum, et sanguis effusus.' Ecce iste videtur similiter dicere, quod non sit verum corpus, scilicet membra. Sed hoc retulit ad figuram, ut Augustinus. Sed quaeritur, cum Augustinus et Hieronymus deberent exponere, ut aperte intelligeretur, quare tegebant. Ad quod dicebant, quod eo faciebant, ne vilesceret. Vult
f. 163 v enim Deus tegi, | ne vilescat, ut dicit Salomon[6]. Cum enim Salomon vellet dedicare templum quod fecerat, statim ex quo intravit, tanta caligo fuit in templo, quod rex nullum poterat videre neque sacerdotes qui cum illo erant. Ad quod Salomon dixit: Semper est

8 inquit] in quid *F* 17 Ieronimus *F* 21 scilicet] sed *F* 22 quaeritur] quare *F* 23 Ieronimus *F*

[1] *Cf.* Herm., 1743 D sq.; Rol., 234 sq.; *Capit. haeres.* IX, PL 182, 1052 C.

[2] *Cf.* Herm., 1741 A—C; Rol., 221—223.

[3] *Cf. supra* p. 30[4].

[4] *In Ev. Joannis* tract. XXVII. (PL 34, 1617): Quid est ergo, non prodest quidquam caro? Non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt: carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur.

[5] *Locus non est Hieronymi*, sed *Origenis: In Leviticum*, homil. VII. n. 5. (Migne, Patr. Graeca 12, 487 B): Est enim et in Evangeliis littera quae occidit, non solum in Veteri Testamento occidens littera deprehenditur. Est et in Novo Testamento littera, quae occidit eum, qui non spiritaliter quae dicuntur advertit. Si enim secundum litteram sequaris hoc ipsum quod dictum est: Nisi manducaveritis carnem meam et biberitis sanguinem meum, occidit haec littera.

[6] *Cf. 2 Par. 6, 1.*

Deus in caligine, quamdiu sumus in hac vita, semper tegit se, ne vilescat[1]. Quod attendentes Augustinus et Hieronymus multa tegebant, ne vilescerent.

74. Harum trium partium corporis Christi, quae videntur fieri, illa pars quam tenet sacerdos in manibus, designat verum corpus Christi. Illa pars quae videtur esse in patena, designat animas quae adhuc sudant et laborant in terrenis. Illa pars quae videtur esse in calice, designat animas quae regnant cum Christo in caelis.

75. Hoc[2] quoque sciendum de illo dominico corpore, quod nullam patitur laesionem. Id autem quod dicitur: nihil intrat in os quod non vadat in secessum (*Mt. 15, 17*), intelligendum de cibis corporis. Iste vero cibus est animae quem non dicimus in secessum ire, quia animae est, velut non dicimus sacerdotem in Quadragesima comedere carnem, quamvis corpus Christi quod caro est . . .

2 Ieronimus *F*

[1] *Cf. 2 Par. 6, 1.*
[2] *Cf. Capit. haer.* IX, PL 182, 1052 C; Rol., 232—234.

EPISTOLA GUALTERI DE MAURITANIA EPISCOPI AD PETRUM ABAELARDUM.

Textum huius epistolae a d'Achery editum (cf. supra p. VII) emendavi aliqua ex parte notisque instruxi. — De tempore, quo scripta est epistola, videas: Goldhorn, J. D. H., *Abaelards dogmatische Hauptwerke, Zeitschrift für historische Theologie, Gotha* 1866, p. 187 sq. — Gualterus arguit in hac epistola contra doctrinam Abaelardi, quam ab ore discipulorum et ex libro eius *Theologiae* cognoverat. Cuius libri primam tantum partem in manibus habebat. Cum huius libri diversae redactiones ab Abaelardo ipso factae exstent, Gualterus adhibuisse videtur eam quam exhibet *Codex 153 Monasterii ad S. Crucem (Heiligenkreuz)*, f. 83 r a — f. 87 v a. In hoc textu quaedam a scriba omissa sunt. Quare in sequentibus textum huius codicis ibi exhibemus, ubi differt a textu impresso.

Magistro Petro monacho Gualterus salutem.

Quidam discipuli vestri subtilitatem et sapientiam vestram, sicut iustum est, late et gloriose praedicantes affirmant inter cetera vos in tantum esse rimatum sanctae Trinitatis profunda mysteria, quod perfecte et ad plenum[1] cognoscatis, qualiter tres personae sint in una divina essentia et in personarum pluralitate unitas divinae essentiae[2]. Dicunt etiam, quod ad plenum disserere et aliis intimare soleatis, qualiter a Patre sit genitus Filius et qualiter Spiritus sanctus procedat ab utroque. Solet autem frequenter contingere, quod discipuli discordent a sensu magistrorum, sive per imperitiam verba eorum male exponendo, sive ad ostensionem sui aliquas novitates inducendo, quas causa maioris auctoritatis magistris suis, licet ignorantibus, consueverunt adscribere.

Ego igitur hoc attendens, ea quae supra diximus a discipulis vestris praedicari, nullatenus adscriberem vobis, nisi quod ad oculos nostros pervenit pars prima cuiusdam tractatus vestri, quem Librum Theologiae appellatis, in qua parte satis confidenter de distinctione et proprietatibus personarum disserendo promittitis[3] in parte posteriori exponere modum generationis Filii a Patre et processionis sancti Spiritus ab utroque; ubi etiam quaedam legi, quae a consuetudine scriptorum orthodoxorum discrepant, velut illud, quod in prologo

16 quam *d'Achery*

[1] *Cf. supra* p. 1, 4.
[2] *Cf.* Abael., *Theol.*, 989 B; *supra* p. 3.
[3] *Theol.*, 998 B.

posuistis haec verba[1]: 'Summam quasi divinae scripturae introductionem conscripsimus, non nos tam veritatem docere promittentes, quam opinionis nostrae sensum, quem efflagitant, exponentes.' Hoc in tractatu vestro legi. Quis autem orthodoxus de fide catholica tractaturus non veritatem, sed sensum opinionis suae promittat exponere? Quis etiam audiens non veritatem, sed opinionem promitti, fidem audeat sequentibus adhibere? Quaedam etiam ibi legi, quae videntur a fide catholica discrepare, ubi scilicet maiorem omnipotentiam esse Patris et Filii minorem videmini affirmare his verbis[2]: ‚Si potentiam tam ad naturam subsistendi, quam ad efficaciam operationis referamus, inveniemus ad proprietatem personae Patris specialiter attinere potentiam, quae non solum cum ceteris duabus personis aeque omnia efficere potest, verum etiam ipsa sola a se, non ab altero existere habet; et sicut ex se habet existere, ita etiam ex se habet posse. Ceterae vero personae, sicut ab ipso Patre habent esse, ita et ab ipso habent posse, quod volunt, efficere.' Et post pauca[3]: ‚Per Filium quippe intelligimus divinam sapientam. Sapientia autem, cum sit quaedam potentia discernendi, scilicet quasi quaedam portio est

1 posuistis] + in *d'Achery*

[1] *Theol., Cod. 153*, f. 83 r a: summam, quasi divinae scripturae introductionem conscripsimus, non nos tam veritatem docere promittentes, quam opinionis nostrae sensum, quem efflagitant, exponentes. *Cf. Theol., ed.* Migne, 979 A, 980 A: summam, quasi divinae scripturae introductionem conscripsimus . . . . non tam nos veritatem dicere promittentes, quam opinionis nostrae sensum, quem efflagitant, exponentes.

[2] *Theol., Cod. 153*, f. 85 v b sq.: si igitur potentiam tam ad naturam subsistendi, quam ad efficaciam operationis referamus, inveniemus ad proprietatem personae Patris specialiter attinere potentiam, quae non solum cum ceteris duabus personis aeque omnia efficere potest, verum etiam ipsa sola a se, ⟨non ab altero existere habet; et sicut ex se habet existere, ita etiam ex se⟩ habet posse. Ceterae vero personae, sicut ab ipso Patre habent esse, ita et ab ipso habent posse, quod volunt, efficere. *Theol.*, ed. Migne, 993 D: Si itaque potentiam tam ad naturam subsistendi, quam ad efficaciam operationis referamus, inveniemus ad proprietatem personae Patris proprie vel specialiter omnipotentiam attinere, qui non solum cum ceteris duabus personis Deus omnia efficere potest, verum etiam ipse solus a se, non ab alio existere habet, et sicut ex se habet existere, ita etiam ex se habet posse. Ceterae vero personae, sicut ab ipso habent esse, ita et ab ipso habent posse, quod volunt, efficere. *Advertendum est hunc locum non esse* Ambrosii (*cf.* PL 17, 386 B sq.), *sicut* Migne *opinatus est, sed* Abaelardi. — *Cf. supra* p. 4.

[3] *Theol., Cod. 153*, f. 86 r a: Per Filium quippe intelligimus divinam sapientiam. Sapientia autem, cum sit quaedam potentia discernendi, scilicet quasi quaedam est portio divinae omnipotentiae, cum sit ipsa quoque quaedam potentia, sicut quilibet filius quaedam proprie patris portio esse dicitur. *Theol., ed.* Migne, 994 B: Sapientiam namque dicimus potentiam discernendi, sive a deceptione sive a fallacia providendi, ne in aliquo decipi possit, vel aliquid eum latere queat. *Terminus* portio *hic non invenitur.* — *Cf. supra* p. 4 *et* 6.

divinae omnipotentiae, sicut quilibet filius quaedam proprie patris portio esse dicitur.' Haec verba in tractatu vestro legi. In quo etiam auctoritate Maximi[1] episcopi conamini astruere, quod omnipotentia Patris consistat in utroque[2].

Quis autem ex verbis vestris diligenter attendens nequeat manifeste concipere, quod omnipotentiam dicitis Patri convenire non solum in hoc, quod omnia facere potest, sed insuper in hoc, quod ex se habet existere et posse, non ex alio. Si vero in his duobus consistit omnipotentia Patris, tunc nimirum Filius, qui de alio est, cum altero de praedictis duobus careat, id est non a se esse vel posse habeat, sed a Patre, et alterum solummodo habeat, id est posse quodcumque vult efficere, inaequalem et minorem habet potentiam et, sicut verba vestra testantur, partialem, velut, cum humana potentia partim ex divitiis, partim ex strenuitate proveniat, profecto minoris est potentiae, qui solas habet divitias, et maioris, qui cum strenuitate aequales possidet divitias. Est autem nefas affirmare Patris maiorem et Filii minorem esse potentiam, cum Patri sit aequalis Filius, Veritate testante quae ait: Ego et Pater unum sumus (*Joh. 10, 30*), et Apostolo dicente: Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse aequalem Deo (*Phil. 2, 6*).

Nunc autem interpositis his ad ea redeamus de quibus coepimus superius. Inspecto siquidem tractatu vestro, in quo proprietates personarum distinguere et generationem Filii et processionem Spiritus exponere confidenter promittitis, cum promissiones vestrae dictis discipulorum vestrorum consonarent, fere compulsus sum credere illius iactantiae, ut non dicam vesaniae, originem a vobis processisse. Sed rursus compellor non credere, cum sapientiam vestram et modestiam considero, quae nollet aliquatenus a scriptis canonicis deviare

3 Martini *d'Achery*, Maximi *correxi sec. Theol.* 11 posse] + quemcumque *d'Achery*.

[1] *Cf. Theol.*, 991 D sq.

[2] *Cf. Theol., ed.* Migne, 993 D sq.: Cum itaque de Patre Maximus dixerit, quod per ingenitam deitatem sit omnipotens, id est per hoc quod, cum sit Deus, sit etiam ingenitus, illa quoque propria Patris potentia, qua solus ipse a se, non ab alio subsistit, unde solus ipse ingenitus dicitur, in omnipotentia comprehenditur, et sic eum intellexit omnipotentem, ut quidquid ad potentiam attinet, non solum quantum ad operationis effectum, verum etiam quantum ad subsistendi modum, ei tamquam propriam attribuerit, ut tale sit scilicet, quod dixerit per ingenitam deitatem omnipotens, ac si aperte diceret: Per hoc quod Deus est ingenitus, eum utroque modo, ut diximus, proprie omnipotentem esse. *Theol., Cod. 153*, f. 86 r a: Unde quod ait Maximus episcopus per omnipotentiam Patrem esse, tale est, ac si dicat ipsam divinam potentiam ad personam Patris maxime pertinere, non quod ipse solus est omnipotens, id est omnia, quae vult, efficere possit, sed quod insuper ipse solus ex se habet posse, sicut ex se habet esse, non ex alio. *Hic deest* ‚utroque modo'.

nec tantis et manifestis auctoritatibus obviare, quae affirmant homines in hac vita non posse pervenire ad perfectam et plenam sanctae Trinitatis notitiam. Unde Dominus loquens Moysi ait: Non videbit me homo et vivet (*Ex. 33, 20*), et Johannes: Deum nemo vidit unquam (*1 Joh. 4, 11*). Ipsa quoque Veritas sanctae Trinitatis perfectam notitiam non ad praesentem, sed ad futuram vitam et aeternam pertinere insinuat dicens: Vita aeterna est cognoscere te, unum Deum, et quem misisti Jesum Christum (*Joh. 17, 3*).

Fortasse autem vobis visum est, sicut etiam discipuli vestri testantur, cum quibus locutus sum, quod istae auctoritates non removent ab hac vita sanctae Trinitatis perfectissimam notitiam, id est scientiam, sed perfectam delectationem de illa scientia provenientem, quae perfecta Dei notitia non pertinet ad hanc vitam, sed solis sanctis convenit aeterna vita fruentibus. Et fortasse praedictas auctoritates ad vestram sententiam quoquomodo retorquere conamini, ut sic aliquomodo eas exponatis: Nemo Deum vidit unquam, videlicet: nemo habuit de visione Dei perfectam delectationem. Verumtamen, quam absurdum et ab omni visu sit remotum pro visione delectationem exponere, satis novit vestra discretio.

Sed concedatur modo, ut praedictas auctoritates tam absurde tam evidenter exponatis, numquid tamen omnes alias similiter exponetis? Audite Clementem, Petri apostoli successorem, falsitati, quae vobis imponitur, ita manifeste repugnantem, ut nulla expositio quantumcumque violenta praetaxatae falsitati Clementis verba valeat applicare, quae sunt huiusmodi[1]: ‚Nec quaeratur, quomodo genuit Filium, quod angeli nesciunt et prophetis est incognitum. Unde et illud dictum est: Generationem eius quis enarrabit (*Js. 53, 8*), quia secretam originem cum proprio filio suo novit ipse solus qui genuit.‘ Cum itaque dicat Clemens angelos nescire genituram Filii a Patre, an de ipsa scientia vel de ipsa delectatione loquitur? Sancti quidem angeli iam ad praesens habent eandem beatitudinem et delectationem quam sancti homines habituri in futuro. Restat igitur, ut loquatur de perfectissima scientia illius geniturae. Sed si ad eam sancti angeli non ascendunt, tunc profecto est incredibile vos ad illam perfectissimam scientiam pervenisse, quod vestri iactitant discipuli. Nondum enim, ut opinor, perfectionem angelicam transcendistis.

22 nobis *d'Achery* 30 sententia *d'Achery*

[1] Pseudo-Clemens, *Epistolae Decretales* I: *Ad Jacobum fratrem Domini* (Patr. Graeca 1, 473 C sq.): Nec quaeratur, quomodo genuit Filium; quod et angeli nesciunt et prophetis incognitum est. Unde illud dictum est: Generationem eius quis enarrabit? Quam secretam originem cum proprio Filio novit ipse solus qui genuit.

Quod si vobis Clemens non sufficit, attendite Paulum apostolum contra temeritatem illius iactantiae, quam vobis imputant, aperte reclamantem, qui ait: Sive prophetiae evacuabuntur, sive scientia destruetur, ex parte enim cognoscimus et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est (*1. Cor. 13, 8—10*). Nonne Apostolus hic aperte testatur se imperfectam habere scientiam? Si vero Apostolus imperfectam habuit, quid aliud est nisi furor manifestus, si quis se perfectam habere iactaverit? Verumtamen, ne dicatis Apostolum habere scientiam imperfectam de rebus ceteris, perfectam autem de Deo, quae tamen prae ceteris scientiis profunda est et inscrutabilis, audite sequentia verba Apostoli: Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum (*1. Cor. 13, 12*). His equidem verbis aperte insinuat se ad praesens imperfecte et obscure videre Deum, sed in futuro ad perfectam et claram Dei notitiam perventurum et, sicut a Deo est cognitus, ita in futuro se divinam essentiam nosciturum. His auctoritatibus monstratum est, arbitror, homines adhuc humano more conversantes in corpore, quod aggravat animam, ad perfectam Dei notitiam non posse pervenire.

Ut autem de incomprehensibili natura divinae maiestatis descendam ad res inferiores, quae ad eius comparationem nihil sunt, quis hominum carnem fragilem adhuc gerens naturam animae propriae nedum alienae valeat perfecte cognoscere? Quid enim occurrit animo contemplanti et in rem incorpoream interiorem oculum figere volenti, nisi imagines corporeae, quae a specie rei invisibilis penitus sunt diversae? Quis etiam animae suae varietates et augmenta meritorum in bono vel in malo ad plenum potest comprehendere? Praeterea, quis adeo sapiens est, ut sui patris et suae matris animas, postquam solutae sunt a corporibus, recognoscere queat et ab invicem discernere, etiamsi forte eas praesentes adesse contigerit? Proinde, ut adhuc descendam inferius, scilicet ad naturam corporis, nemo est ita peritus in mundana sapientia vel divina, qui omnes naturas proprii corporis et causas varias morbi ⟨ac⟩ sanitatis plenarie investigare et cognoscere valeat. Cum igitur nemo de ipsis creaturis et natura propriae animae et corporis perfectam habeat notitiam, quis audeat aspirare ad comprehendendam sanctae Trinitatis maiestatem quae exsuperat omnem sensum et humanam rationem?

Postquam monstratum est, quod summa et plena sanctae Trinitatis notitia ad hanc vitam temporalem minime pertineat, consequenter proposui facere mentionem de quibusdam locis scripturae, ex quibus forsitan videri possit illam summam sanctae Trinitatis notitiam ad

vitam praesentem pertinere. Si quis itaque in mortali adhuc corpore positus se aestimat ad eam pervenisse exemplo Pauli apostoli, qui ad eam tunc pervenit, quando raptus ad tertium caelum audivit arcana verba, quae non licet homini loqui (*2. Cor. 12, 2—4*), quisquis ille est, hoc attendat, quod nondum raptus est usque ad tertium caelum, verum adhuc nobiscum in terra moratur. Nec ideo credat aliquis hominem in hac vita ad perfectissimam Dei venire notitiam, quia scriptura dicit a patribus antiquis Deum esse visum et Moysi locutum, sicut loquitur vicinus ad vicinum[1]. Non enim de ipso Deo, sed de angelis scriptura hoc asserit, quos sibi loquentes ex persona Dei Moyses et reliqui Patres viderunt in assumptis corporibus. Si enim de ipso Deo hoc scriptura diceret, quare Moyses post multas visiones et collocutiones oraret Dominum dicens: Ostende mihi gloriam tuam (*Ex. 33, 18*)? Et quomodo responderet ei Dominus: Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo et vivet (*Ex. 33, 20*).

Praeterea in evangelio inveniuntur quaedam verba Domini, ex quibus non bene expositis fortasse possit intelligi, quod perfectissima Dei notitia hominibus in hac vita conveniat, velut illa in Evangelio Matthaei: Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit filius revelare (*Mt. 12, 27*), et illa in Evangelio Johannis: Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem (*Joh. 14, 9*), et alibi: Omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis (*Joh. 15, 15*). Possunt vero haec verba Domini referri non ad praesentis vitae notitiam, sed ad eam, quam habebunt sancti in futuro, quando videbunt Deum facie ad faciem. Nec mirum, si per verba praeteriti temporis Christus agit de illis, quae ad futurum pertinent, cum non solum Christus, sed et prophetae hoc frequenter facere soleant pro certitudine futurae veritatis. Si autem superiora verba ad notitiam vitae praesentis referantur, quemadmodum et haec alia: Haec est voluntas Patris, ut omnis, qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam aeternam (*Joh. 6, 40*), proculdubio in eis agitur de imperfecta Dei notitia, in qua nondum perfecte videmus Deum facie ad faciem, sed per fidem obscure, tamquam per speculum in aenigmate (*1. Cor. 13, 12*). Nec intelligendum est, quod sanctis in hac vita positis Filius notificaverit omnia, quae audivit a Patre ad futurum saeculum pertinentia, sed potius omnia, quae sunt eis in praesenti necessaria, ut salutem consequantur. Iuxta quem modum etiam illa verba Domini intelligenda sunt: Cum venerit ille Spiritus veritatis, ille docebit vos omnem veritatem (*Joh. 16, 13*). Non enim ait: omnem veritatem eorum, quae ad futurum saeculum

[1] *Cf. Ex. 33, 11.*

pertinent, sed quae in praesenti essent necessaria ad salutem assequendam. Hactenus determinasse sufficiat ea loca scripturarum quae male intelligentibus videntur affirmare, quod ad homines huius vitae perfectissima Dei notitia pertineat.

Haec scripsi vobis, non praesumens vos docere, qui in divina scriptura prae ceteris eminetis, sed per litteras vestras scire desidero, si in notitia Dei vos imperfectum esse creditis, aut si iam in hac vita ad summum eius augmentum vos pervenisse confidatis. Hoc enim vestri iactant discipuli quibus scripta vestra videntur attestari.

Praeterea notificate mihi, si adhuc creditis, quod Deus essentialiter non sit in mundo vel alibi[1], et quod angeli et animae[2] nusquam sint. Quod, si bene memini, audivi vos fateri, quando novissime invicem contulimus de quibusdam sententiis. Praeterea apud nos ventilatum est vestram affirmare sapientiam, quod Christus praedicando, laborando, ad extremum moriendo nihil meruerit[3], et quod nemo propter opera sua bona vel mala nisi pro sola voluntate[4] remunerari debeat vel puniri.

Quid itaque de his sentiatis, mihi breviter rescribite et scribendo materiam vobis invicem rescribendi mihi praebete. Nec convenit, ut aliquam occasionem praetendatis, quominus mihi rescribatis, cum nullo alio modo tam quiete, tam exquisite possit investigari veritas, sicut in scribendo de absentibus ad absentes. Qui enim scribunt ad absentes, auctoritates intuentur et in omnes apud se perscrutantur sine ira et disceptatione, quae animos disputantium et praesentialiter colloquentium frequenter solent commovere et mentis oculum offuscare. Praeterea, quod solo verbo a disputantibus profertur, oblivione deletur. Sed e contra, quod scribitur, memoriae commendatur, et quae pars praevaleat, indicio scripturae declaratur.

De supradictis igitur mihi rescribite, et quod in aure discipulorum dicitis, super tecta praedicate, ne incurratis reprehensionem illius stultae mulieris, quae, cum sit inops aquae, praetereuntes tamen invitat occultum panem et aquae latentis dulcedinem attingere[5]. Vale.

[1] *Cf. supra* p. 9 sq.
[2] *Cf. supra* p. 10 sq.
[3] *Cf. supra* p. 19.
[4] *Cf. supra* p. 15 sq.
[5] *Cf. Prov. 9, 13—17.*

Index nominum et rerum ad Sententias Florianenses.

ablutio: exterior in baptismo designat animae ablutionem 2, pedum signum remissionis peccati originalis sec. Ambrosium 26 sq., pedum per episcopum 27.

Abraham: 22 sq., 26.

Adam: 15, 27.

adiunctio: 12.

adoptio: Christi in filium Dei 18, praecedentibus meritis, operibus 18.

adulti: non debent contemnere baptismum 25, ficte accedentes 28.

aes: exemplum trinitatis 5, 7.

alba: in baptismo 27.

alicubi: Deus non est loco circumscriptus 21, corpus 21.

altaris sacramentum: 29—33, quare in istis figuris, cuius signum, in pane et vino 29, Melchisedech primus celebravit 29, Christus celebravit 29, administratio angelorum 29, sacrificium 29, aqua apposita designat gentiles, non aquam quae exivit in cruce 30, vinum designat Judaeos 30, corpus in altari verum corpus Christi, signum corporis quod est ecclesia 30, 32, multi salvi qui non comederunt 30, sub figuris, ne visus abhorreat 31, corpus non dividitur, quare frangitur 31, forma non in corpore Christi, non in aliquo subiecto, sed in aere 31, sub figura panis totum corpus Christi, similiter sub figura vini 31, substantia panis non transit in corpus Christi nec propter hoc est aliud 31, non phantasma neque deceptio 31, Deus saporem corporis immutat 31, corpus Christi non mucidus, non corroditur a muribus, sed Deus supponit aliam speciem 32 sq., quod non sit sacramentum, non res sacramenti, sed figura 32, quid designent tres partes 33, nullam patitur laesionem 33.

Ambrosiaster: Comment. epist. ad Cor. 20.

Ambrosius: pro Augustino 20, Expos. in Evang. sec. Lucam 21, De mysteriis 26 sq.

amor: honestus 1 sq.

Anastasius: pro Athanasio 10, 16, 21.

angelus: non omnipotens 3, nostra natura sublimata supra a. 15, habet liberum arbitrium 19, administratio in sacramento altaris 29.

anima: vivificans corpus 10, non est in loco 11, rationalis 17, pars hominis 17, Christi 18, 20 sq., unita Verbo per gratiam 20, eius vita 30 sq., animae in terrenis, in caelis 33.

animalia: apud Ezechielem 15.

apes: partus confirmans partum virginis 5.

appetitus: corporis 16.

approbare: 12 sq.

aqua: in baptismo 23, apposita in sacramento altaris 30.

arbitrium liberum: datur a Deo 13, Christi, angelorum 19, discretio rationis vergentis se ad utramlibet partem 19, amisit diabolus 19 sq.

Athanasius: cf. Anastasius.

auctoritas: 4, 32.

Augustinus: Enchiridion pro De civitate Dei 2, 24, Enchiridion 14, 25, De diversis quaestionibus 10, 13, 21, De civitate Dei 2, 10, 24, 28, De Genesi ad literam 10, De Trinitate 15, 20, Contra Maximinum 17, Sermones 17, In Evang. Joannis 18, 20, 30, 32, Epist. 140 (al. 120) 21, De baptismo contra Donatistas 24, pro Hieronymo 24.

balsamum: 23.

baptismus: ablutio exterior designat animae ablutionem 2, quare successit circumcisioni 22 sq., baptizatis statim mortuis patet paradisus per passionem Christi 23, maribus et mulieribus convenit 23, in aqua 23, quando institutus 24, martyrium loco baptismi 24, praeoccupati salvantur sine b. 24, pueri non baptizati damnantur poena mitissima 24 sq., non contemnendus ab adultis 25, peccatum originale et actuale dimittitur 26, poena originalis peccati restat 26, signum remissionis peccatorum actualium sec. Ambrosium 27, unctio, oleum, alba ad de-

corem pertinent, non ad efficaciam 27, verba patrinorum non conveniunt pueris 27, in fide ecclesiae, si patrini fideles desint 28, adulti ficte accedentes 28, pueri infideles ludentes 28, in nomine Patris, i. e. in fide ecclesiae 28, ante b. puer neque membrum Christi neque diaboli 29.
beneficia: a Deo collata 3, 14, 21.
benignitas: designatur per Spiritum sanctum 4, 7, non pars omnipotentiae neque sapientiae 7, cf. bonitas.
Boethius: De persona et duabus naturis 17.
bonitas Dei: si malis consentiat, si causa malorum 12 sq., Deus iuste punit 12 sq., 24 sq., mala nunquam causa malorum fiunt Deo ordinante 13, Deus utitur malis bene 25.
bonum: futurum 1, 19, summum 3 sq., discernitur a malo et assumitur 19.
caerimonia: legis 22 sq.
calix: 33.
canones: 27.
caput: nostrum Christus 30.
caritas: pertinet ad summam nostrae salutis 1, 21, exhibita nobis per modum redemptionis 15.
caro: suggerit inhonestum faciendum 16, pars hominis 17, carnes porcinae 22, non comeditur in Quadragesima 33.
caro Christi: Verbo sociata 18, denuo assumpta 21, separata a divinitate 21, filii hominis 30.
causa: materialiter et finaliter efficiens 13.
chrisma: 27.
Christus: una persona, duae naturae 10, 16, unaquaeque natura retinet proprietatem 16, similitudo animae et carnis 16, homo unitus Deo in unam personam 17, divinitas et humanitas, Deus et homo non sunt partes 17, divinitas non transit in humanitatem, nec e converso 16 sq., Verbum unitum carni, carnem assumpsit 18, homo assumptus 18 sq., homo assumptus non ex merito 19, Verbum, anima, caro, corpus 18, anima 10, corpus iunctum divinitati mediante anima 21, unio divinitatis et humanitatis nunquam separata 20 sq., passus, ut amorem sui nobis immitteret 15, passibilitas 19, passio 15, 23, in nobis humilitatem et patientiam radicavit 16, filius Dei per naturam, generationem, gratiam, non per adoptionem 18, praedicatio 17, fragilitatem nostram suscepit 18, docuit non esse peccata exteriora opera 15, non potuit peccare 18 sq., non potuit esse melior, sed beatior 19, meritum 19, semper fuit in vita aeterna 19, non habuit fidem et spem 19, scientia 19, anima non aequalis Verbo in scientia 20, liberum arbitrium 19, concordia inter fideles et infideles 22, membrum Christi 29, 31, Melchisedech eius typus 29, genealogia, genitura ineffabilis 29, caput nostrum 30, cf. corpus.
cibaria: vetavit Deus 22.
cibus: corporis, animae 33.
circumcisio: vis sicut modo baptismus 22 sq., baptismus successit 22 sq., in membro viri 22, solis maribus praecepta 22 sq., remissio collata 23, circumcisis non statim patet paradisus 23, praecepta Abrahae et semini eius 23, famulorum Abrahae licita 23, non circumcisi salvati in fide 23, incircumcisi mortui 25.
circumscriptus: loco 21.
citharoedus bonus: 14.
civitas: nova condita a Deo 22.
cognitio: de Deo 3, 14, 21, 28, ex iis quae Deus operatus est 5.
concilia quattuor: 7.
concordia: inter fideles et infideles in fide Christi 22.
condimentum: 22.
confirmatio: 22.
coniugium: inter fideles et infideles 22, maxime allicit homines 22.
coniuratio: exorcismus 28.
consentire: malo 12, diabolo, rationi 16.
contemptus: 25 sq.
contraria: simul in eodem 14.
controversia: 26.
conversio: mali ad Deum 25, gentilium 30.
conveniens: nullus modus redemptionis convenientior 15.

corpus: unum ex multis compactum in ecclesia 2, appetitus 16, albus 17, alicubi 21, Deus non est c. 21, solida corpora hominum, aeria daemonum post ruinam, cruciantur post resurrectionem 28, eius vita 30, 31.
corpus Christi: divinitas separata 20, iunctum divinitati mediante anima 21, in altari signum corporis, quod est ecclesia, cuius caput Christus 30, quod fuit in utero virginis 30, quare sub figuris, totum sub figura panis et similiter vini, quare frangitur, non dividitur 31, Deus saporem corporis sui immutat, ut melius possit percipi 31, non est mucidus, non corroditur a muribus 32, membra, tres partes 32 sq.
corruptio: 14, 23.
creatura: individua rationalis 17, non aequiperatur creatori in aliquo 20, Spiritus sanctus non est cr. 20.
crementum: 3.
culpa: diaboli 20, non in pueris non baptizatis 25.
cultus divinus: 3.
daemones: a Salomone eiecti et vasis inclusi quorundam nominum coniuratione 28, aeria corpora 28.
David: 29.
deceptio: non in sacramento altaris 31.
decor: sacramenti 23, 27.
Deus: essentia 3, 5, 20, natura cognoscitur in fide 21, non est substantia 3, singularitas 3, 9, simplicitas 5, principalis causa et finis 1 sq., summum bonum 3 sq., to agaton, mens, anima 6, omnibenignus 4, omnisapiens 3, 11 sq., misericors erga parentes, pueros non baptizatos et alienos 25, non est iniustus puniens pueros non baptizatos 24 sq., dicitur velle duobus modis 12 sq., vult bonum 12, cum unicuique possit dare gratiam, uni dat et alii subtrahit 13, unicuique gratiam exponit 13, dat liberum arbitrium et rationem 13, immutabilis, invariabilis 11, non est corpus 21, moveri non potest 9 sq., generatio non competit, neque corruptio, augmentum, permutatio 9 sq., ubique 9—11, 20 sq., non alicubi 21, pluralitas 3, tres personae 3—6, non tres dii 6, unitus homini in unam personam 10, est homo, sed non creatus neque habet principium, non est recens 17, cognitio 3, cognitio primi hominis et philosophorum 9, quae eius sunt, nemo scit, nisi Spiritus Dei 20, vult tegi, ne vilescat, semper est in caligine 32 sq., cf. benignitas, bonitas, filius, motus, nomina, omnipotens, potentia, providentia, redemptio, sapientia.
diabolus: ei se subiecerat homo, quem Deus non potuit auferre nisi quadam redemptione, qua potestatem suam amisit 14, potestas puniendi hominem, non assumpsit pretium pro homine 15, noluit Deum mori pro homine 15, suggestiones 16, non habet liberum arbitrium 19 sq., culpa 20, membrum diaboli 29.
dialectica: regula, quod duo contraria simul sunt in eodem 14.
discordia: inter Judaeos et gentiles 24.
discretio: boni et mali in libero arbitrio 19.
disponere: 12 sq.
divinitas in Christo: non transit in humanitatem 16 sq., non est pars 17, post unionem non separata ab humanitate 20 sq., in morte separata a corpore 20 sq., iuncta corpori mediante anima 21.
dona: Spiritus sancti 30.
ecclesia: unitas fidei, corpus unum 2, beati Ambrosii 27, fides 28, habet exorcismum a Salomone 28, primitiva 30, significatur per corpus in altari 30, dona Spiritus sancti 30, multa membra, quidam oculi, praedicatores, manus 30.
efficacia: baptismi 27 sq.
electio: 11.
episcopus: debet habere ablutionem pedum, oleum ponit in fronte 27.
essentia: Deus ubique per e. 20, separatio per e. 21.
etymologia: 2.
exorcismus: ante baptismum 28, coniuratio 28, a Salomone 28 sq., quid operetur, an membrum Christi, an diaboli 29, praeparat ad baptismum 29.

exponere: 32.
fatum: ad sapientiam spectat 11, dispositio divina in rebus 12.
fides, caritas, sacramentum 1 sq., 21.
fides: substantia rerum sperandarum, existimatio rerum non apparentium 1, 19, pertinet ad summam nostrae salutis 1, 21, continetur in cognitione creatoris et in beneficiis ab eo collatis 3, 14, 21, unitas 2, catholica 2, confirmatio incredibilium 5, non erat in Christo 19, concordia inter fideles et infideles 22, salvans sine circumcisione 23, uniuscuiusque salvans sec. Saracenos 23, aliena, scil. patrinorum sive ecclesiae salvat 28, cognitio de Deo in hac vita, quam habet ecclesia de trinitate 28.
fidelis: filius Dei 18, et infidelis 22 sq., patrinus 28.
figura: corporis Christi, ne visus abhorreat 31, in sacramento altaris 29, 32.
Filius: designat sapientiam 4, 15, designat omnem sapientiam 6, designat quandam potentiam 6, genitus 4—6, providens 4, nomina 4, persona 5, ex portione Patris 6, incarnatus 15, docuit non esse peccata exteriora opera 15, habet per naturam, quod habet anima per gratiam 20, habet ex Patre, quidquid habet 20, cf. Christus.
filius: Dei per naturam, generationem, adoptionem, gratiam, unusquisque fidelis 18, f. hominis caro 30.
fons: exemplum geniturae et processionis personarum 7.
forma: corporis Christi 31.
fractio: corporis Christi 31.
fragilitas: nostra suscepta a Christo 18.
generatio: non competit Deo 9, filius Dei per g. 18.
genitura: modus in personis 6 sq., exempla 7, ineffabilis Christi ex Patre et matre 29.
gentiles: 24, 30.
genus: continet species 1.
grammatica: persona in gr. 5.
gratia: Dei 2, praedestinatio est gr. praeparatio 12, datur, subtrahitur 13, unicuique exposita a Deo 13, nullus bene operari et velle potest sine adiutrice gr. 13, exemplum medici, qui dat potionem infirmo, mercatoris, qui exponit equum 13, filius Dei per gr. 18, homo assumptus per gr. 19, quod habet Filius per naturam, habet anima per gr. 20, unio animae et Verbi 20, gr. tempore omnia faciliora 23.
Gregorius: In Ezechielem 11.
Hieronymus: pro Gregorio 11, pro Origine 32, Super Ezechielem 24.
(Pseudo-)Hieronymus: 25.
homo: unusquisque potest salvus esse, mutabilis, variabilis 11, non valebat ad redemptionem 14, natura corrupta 14, servus Dei 15, servus peccati 16, rationalis, sentit 17, Christus non de substantia Patris 18, filius Dei per adoptionem 18, maxime allicitur a coniugio et mensa 22, vetus debet praecidi, novus nasci 22, vivere praecipue desiderat 26, filius h. 30, cf. Christus, diabolus, vir.
hostia: 23.
humanitas in Christo: non transit in divinitatem 17, non pars 17, non separata a divinitate post unionem 20 sq., non ubique unita Deo in personam unam 21.
idololatrae 22.
imperfectio: 23.
impius: 4.
incarnatio: personae Filii et non Patris vel Spiritus sancti 15.
infidelis: et fidelis 22 sq., puer ludendo baptizans 28.
inhonestum: 16.
iniuria: facta diabolo sine redemptione 14.
Isaac: 23.
Ismael: 23.
Job: 23, 29.
Judaei: 23 sq., 30.
Judas: 25.
labor: viri accrescens circumcisione 22 sq.
laesio: 33.
lapsus: hominis 15.
Levi: 26.
lex: caerimonialis 22, naturalis 29.
liquor: in baptismate 23.

locutio: propria 17.
locus: Deus non est alicubi loco circumscriptus 21.
maceria: inter fideles et infideles 22 sq., 34.
malum: discernitur a bono et dimittitur 19, cf. bonitas.
malus: convertitur ad Deum 25.
manus: si transiret in pedem 31.
mares: cf. vir.
martyrium: 24.
matrimonium: 2.
medicus: 13.
Melchisedech: 29, 33.
membrum: Christi, diaboli 29, 31, corporis Christi 32.
mensa: divisio inter fideles et infideles 22, maxime allicit homines 22.
mercator: 13.
meritum: praecedens 18, homo assumptus non ex m. 19, Christi 19, salvat 25.
missio: Filii et Spiritus sancti 16.
mors: poena originalis peccati 26.
motus: non in Deo 9 sq., corporis, spiritus creati 10, loco, tempore 10.
mulier: poena pro peccato primo 22, ex ea is, qui foret incorruptus 23, baptizatur 23.
mures: 32.
natura: hominis corrupta 14, humana sublimata supra angelos 15, filius Dei per n. 18, animae rationalis 18, divina cognoscitur in fide 21.
necessitas: 12.
nomina Dei: ex se, ex nobis 4, 5, secundum substantiam, secundum relationem 5, 8, quae competunt Patri, Filio, Spiritui sancto 4, quae recipiunt pluralitatem 3, 6, quae competunt Deo et unicuique tantum personarum 5, ne permisceantur in praedicationibus 8, nomen Patris in baptismo pro cognitione, scil. pro fide 28.
nomina: quorum coniuratione daemones eiciuntur 28.
nummus: 23.
oleum: 23, 27.
omnibenignus: 4.
omnipotens: Pater, Filius, Spiritus sanctus 3, 5 sq., Deus non potest plura facere quam faciat 11.
omnisapiens: 3.
opera: exteriora non peccata 15 sq., bona 18, 22.
Origenes: 32.
paenitentia: baptismo praevio 26.
Palaestina: 22.
panis: in sacramento altaris 29, 31.
paradisus: 23, 27.
pars: pro toto 17, non est in Christo 17, tres partes corporis Christi 33.
partus: virginis, apum 5.
passibilitas: Christi 19.
passio: Christi et sanctorum 23.
patena: 33.
Pater: designat potentiam 4, 15, designat omnipotentiam, quasi stipes 6, maxime omnipotens 4, creator, iustus, aeternus 4, nomina 4, persona 5, ex se habet existere 4, non genitus 6, non incarnatus 15, Filius et Spiritus sanctus non aequales Patri in scientia 20.
patrinus: 27 sq.
peccatum: nihil est 14, primum 14, primum levissimum, alia graviora 25 sq., non exteriora opera, sed interior voluntas 15 sq., cuius eramus servi 16, abstinendum propter dilectionem Dei et dolores Filii 16, non erat in Christo 18 sq., hominis assumpti 19, poena mulieris et hominis 22, non est in pueris 24, 26, 28, poena originalis p., scil. mors 26, originale est poena transfuga in posteros a primo parente 26, originale etiam haereditarium appellatur, per plantam intelligitur 27, tam poena quam culpa, id est contemptus 26, remittitur in baptismo, id est poena gehennalis 26, actuale remittitur in baptismo, originale in ablutione pedum sec. Ambrosium 26, originale et actuale remittitur in baptismo 27, paenitentia 26, puer non baptizatus damnatur pro p. alienis 28, cf. redemptio.
pes: ablutio pedum 27, si manus transiret in pedem 31.
perfectio: totius boni 4.
persona: rationabilis creatura individua 17, in trinitate, rhetorica, grammatica

5, 17, una ex carne et anima 17, Dei induitur a puero, puerorum a patrinis 28.
personae in Deo: distinctio in trinitate 3—7, unde habent existere 4, non res diversae in numero, sed proprietate 5 sq., modus et exempla geniturae et processionis 5—7, missio personarum 16, non tres dii 6, nomen p. recipit pluralitatem 3, 6, Deus in unam sibi personam univit hominem 10, unio in Christo 21, separatio per unionem personae in Christo 11.
phantasma: 31.
phoenix: 5.
Pilati uxor: 15.
planta: 27.
Plato: demonstrat distinctionem personarum in sole 6, dixit animam mundi creatam, intelligens Spiritum sanctum 7.
poena: pigritiae et negligentiae 13, diaboli 20, mulieris et hominis pro peccato 22, puerorum non baptizatorum mitissima 24 sq., aeterna 25, exemplum corrigens alios 25 sq., cf. peccatum.
pontifices Romani: 30.
portio: Filius ex portione Patris 6.
potentia Dei: designatur per Patrem 4, sapienta, Filius quaedam potentia 6, quae pertinent ad p. 9, Deus non potest plura facere quam faciat, non meliorem voluntatem habere, non facere contra rationem 11 sq., eligit et reprobat 11, non potest omnes salvos facere 11.
praedestinatio: 11 sq., est gratiae praeparatio, continetur sub providentia 12, est tantum de bonis futuris 12.
praedicatio: nominum in Deo 6, 8, in Christo 17, secundum partem 17.
praescientia: 11.
probatio: 1.
processio: modus in personis 6 sq., exempla 7, Spiritus sancti 7 sq.
propagatio: humani generis 22.
providentia Dei: in mundo 9, ad sapientiam spectat, est tam de bonis quam de malis 11 sq., nullam necessitatem infert 12.
puer: non baptizatus damnatur poena mitissima 24 sq., non est in peccato 24 sq., in ecclesia induit personam Dei 28, salvatur in fide aliena, scil. patrini, non baptizatus damnatur pro peccato alieno 28, persona pueri induitur a patrino 28, baptizatur in fide ecclesiae, si fideles patrini desint 28, p. infideles ludendo baptizantes 28, ante baptismum neque membrum Christi, neque diaboli 29.
Quadragesima: 33.
qualitas: 3.
quantitas: 3.
ratio: discernit bonum et malum 13, discretio in libero arbitrio 19, rationabilis creatura individua 17, rationalis anima, homo 17, persuadet inhonestum non faciendum, contra appetitus corporis resistit 16.
redemptio: alii modi possibiles Deo, nullus convenientior 14 sq., homo non valebat 14, Deus poterat condonare peccata sine incarnatione 14, caritas nobis a Deo exhibita 15, ut meliores redderet Deus homines post lapsum Adae 15, iste modus ad redimendum a peccato 16, ut reminisceremur dilectionem Dei 16.
regnum caelorum: 24—26.
remissio: in circumcisione 23, peccatorum actualium tantum in baptismate sec. Ambrosium 26, peccatorum actualium et originalium in baptismo 27.
reprobatio: 11.
resurrectio: 28, cf. phoenix.
rhetorica: persona in rh. 5.
sacerdos: 27, 32 sq.
sacramentum: pertinet ad summam salutis 1, 21, visibile signum invisibilis gratiae Dei, sacrae rei signum 2, baptisma, confirmatio, unctio infirmorum, coniugium, altaris, opera, circumcisio 22, signat rem 27, res sacramenti 32, decor, efficacia 27, sacramenta prius ignota aperta in fractione panis 31, cf. altaris sacr.
sacrificium: sacr. altaris 29.
Salomon: 22, 28, 32.
salus: summa nostrae s. 1, 21, fides catholica necessaria ad s. 2, 14, prae-

visa 12, unusquisque potest salvus esse 11, omnes in fide sua salvantur 23, sine baptismo 24, parentum propter casum filii 25, ex meritis 25, in fide aliena 28, in lege naturali 29, multorum, qui non comederunt carnem filii hominis 30.
sancti: passi pro Christo 15.
sanguis: 30.
sapientia: designatur per Filium 4, 6, quaedam potentia, pars potentiae 6, ad s. Dei spectant: providentia, praedestinatio, fatum 11.
sapor: 31.
Saraceni: 23.
scientia: animae Christi, Filii, Spiritus sancti 20.
secessus: 33.
semen: Abrahae 23.
seminarium: inter fideles et infideles 22, Levi Abraham 26.
sensus: 30.
separatio: divinitatis et humanitatis in Christo post unionem 20 sq., per essentiam, per unionem personae 21.
servus: peccati 16.
sigillans: 5.
sigillum: e cera, exemplum trinitatis, tria proprietate, non numero diversa: aes, sigillum, sigillans 5, ex aere 7 sq.
significatio: 6.
signum: visibile in omnibus sacramentis 2, corpus in altari corporis, quod est ecclesia 30, sanguis in altari s. spiritualium donorum 30, vitae corporis panis, vitae animae vinum 31.
Socrates: 14.
sol: sol, calor, splendor exemplum trinitatis 5—7.
species: sub genere continetur 1, pro specie mutata per baptismum pro circumcisione 23, alia supponitur a Deo in sacramento altaris 32.
spes: exspectatio commodi, de bonis futuris 1, 19, sub fide continetur 1.
Spiritus sanctus: designat benignitatem et amorem 4, 7, 16, procedens 4—8, processio in effectu et affectu 7, sec. Graecos a Patre solo procedit 7, non est creatura 20, non genitus 4, 6, non incarnatus 15 sq., missus 16, nomina 4, persona 5, apud Platonem anima mundi 7, affectu aeternus, effectu temporalis 7, plantat in nobis ardorem amoris 16, scit, quae sunt Dei 20, aequalis in scientia Deo 20, habet ex Patre, quod habet 20, dona 30.
subiectum: formae corporis Christi 31.
substantia: susceptibilis contrariorum 3, unaquaeque in se bona, mala ex corruptione naturae 14, Patris 18, panis transit in corpus Christi 31.
suggestiones: diaboli 16.
summa: nostrae salutis 1, 21.
symbolum: 2, 4.
templum: 32.
tempus: gratiae 23, 26.
testamentum vetus: 22, 29.
totum: pars pro toto 17.
trinitas: persona in tr. 5, cognitio tr. ex eis, quae Deus operatus est (sol, calor, splendor) 5, exemplum sigilli 5, 7 sq., exemplum fontis et solis 7, fides ecclesiae 28.
typus: Christi Melchisedech 29.
ubique: Deus 9, 11, 20 sq.
unctio: 22, 27.
unio: hominis ex carne et anima 17, Dei et hominis in unam personam in Christo 17 sq., Verbi et carnis 18 sq., divinitatis et humanitatis 20 sq., per essentiam, u. personae 21.
variatio: 3.
velle: dicitur duobus modis 12 sq.
verba: patrinorum 27 sq.
Verbum: unitum carni 18, incarnatum, humanum 18, anima Christi non aequalis V. in scientia 20, anima Christi unita Verbo per gratiam 20.
vinum: 23, 29—31.
vir: poena pro peccato primo 22, circumciditur, ut labor accrescat 22 sq. nemo ex viro nascitur non corruptus 23.
vita: aeterna 19, corporis, animae 30 sq.
voluntas interior: facit peccatum 16.

BIBLIOGRAPHIA.

d'Achery, L., Veterum aliquot scriptorum qui in Galliae bibliothecis, maxime Benedictorum, supersunt Spicilegium, ed. L. Fr. J. de la Barre, Parisiis 1723, tom. III.

Cousin, V., Petri Abaelardi opera, tom. posterior, Parisiis 1859.

Czerny, A., Die Handschriften der Stiftsbibliothek St. Florian, Linz 1871.

Denifle, H., Die Sentenzen Abaelards und die Bearbeitungen seiner Theologia vor Mitte des 12. Jahrhunderts: Archiv für Literatur und Kirchengeschichte des Mittelalters I, Berlin 1885, 402—469, 584—624.

Denzinger-Bannwart, Enchiridion symbolorum, definitionum et declarationum de rebus fidei et morum. Ed. 16. et 17. Friburgi Brisgoviae 1928.

Deutsch, S. M., Peter Abälard, ein kritischer Theologe des zwölften Jahrhunderts. Leipzig 1883.

Geyer, B., Die Sententiae divinitatis: Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters, Band VII, Heft 2—3. Münster 1909.

— Peter Abaelards philosophische Schriften. I. Die Logica ‚Ingredientibus'. 2. Die Glossen zu den Kategorien. 3. Die Glossen zu Peri hermeneias. Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters, Band XXI, Heft 2, 3. Münster 1921, 1927.

— Die Siebenzahl der Sakramente in ihrer historischen Entwicklung. Theologie und Glaube X. Paderborn 1918, 325—348.

Ueberweg-Geyer, Grundriß der Geschichte der Philosophie II. Die patristische und scholastische Philosophie. Berlin 1928.

Goldhorn, J. D. H., Abaelards dogmatische Hauptwerke. Zeitschrift für historische Theologie. Gotha 1866, 161—229.

Gietl, A. M., Die Sentenzen Rolands, nachmals Papstes Alexanders III. Freiburg i. Br. 1891.

Grabmann, M., Die Geschichte der scholastischen Methode II. Freiburg i. Br. 1911.

Migne, Patrologiae cursus completus, series latina, tom. 178: Petrus Abaelardus. Parisiis 1855.

— Patrologiae cursus completus, series latina, tom. 180: S. Bernardus abbas Clarae-Vallensis. Parisiis 1854.

— Patrologiae cursus completus, series latina, tom. 182: Guillelmus, Epistola ad Gaufridum Carnotensem et Bernardum. Parisiis 1855, 531—533.

Ostlender, H., Peter Abaelards Theologia und die Sentenzenbücher seiner Schule. Breslauer k.-theol. Diss. 1926.

Rheinwald, Fr. H., Petri Abaelardi Epitome Theologiae christianae. Berolini 1835.

BR 41597
63
F4 Sententiae
v.19 Florianenses /
H. Ostlender

BR 41597
63
F4 Sententiae
v.19 Florianenses /
H. Ostlender

Flora Lamson Hewlett Library
Graduate Theological Union
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709

DEMCO

GTU Library
BR63 .F4 v.19 G
Sententiae Floriane/Sententiae Florianen
3 2400 00036 3865